de Septenarii numeri præſtantia excerpere, quibus, etſi quæ-
A dam à nobis jam ante commemorata, referant. Tamen, dum eadem, non noſtris, ſed ſuis verbis confirmant, hinc palàm fiet, eos, & omnem proinde antiquitatem idem nobiſcum ſentire.

D. Auguſt. lib. 17. de Civitate Dei, c. 4. Explicans, ex *c. 2. l. 1. Reg.* quæ Anna præ gaudio in canticum erumpens de Eccleſia prophetavit, inter cetera, ut ſeptenarium numerum Eccleſiæ perfectionem ſignificare aſſereret, ait: Sterilis peperit ſeptem, & quæ multos habuit filios, infirmata eſt. Hic totum, quod prophetabatur illuxit, agnoſcentibus numerum ſeptenarium, quo eſt univerſæ Eccleſiæ ſignificata perfectio, propter quod & Joannes Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, eo modo ſe oſtendens ad unius plenitudinem ſcribere. Et in Proverbiis Salomonis hæc ante præfigurans, Sapientia ædificavit ſibi domum, & ſuffulſit columnas ſeptem.

Idem D. Auguſt. lib. 11. de Civitate Dei, cap. 31.

Numerus Septenarius perfectus eſt, in quo Dei requies commendatur. Nam ipſa ſeptima die requievit, in qua primum ejus ſanctificatio ſonat. Quia Deus iſtum diem in ullis ſuis ope-
B ribus noluit ſanctificare, ſed in requie ſua, quæ non habet veſperam. De cujus numeri perfectione, ſatis eſt admonere, quod totus impar primus numerus ternarius eſt, totus par quaternarius: ex quibus duobus ſeptenarius conſtat. Ideò pro univerſo ſæpè ponitur, ſicuti, Septies in die cadet juſtus, & reſurget, id eſt, quotieſcunque ceciderit, non peribit. Quod nedum de iniquitatibus, ſed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus, intelligi voluit. Et, ſepties in die laudabo te, quod alibi, alio modo dictum eſt, Semper laus ejus in ore meo. Et multa hujuſmodi in Divinis authoritatibus reperiuntur, in quibus ſeptenarius numerus pro cujuslibet rei univerſitate ponitur. Propter hoc, eodem ſæpè numero, ſignificatur Spiritus ſanctus, de quo Dominus ait: Docebit vos omnem veritatem. Ibi requies Dei, qua requieſcitur in Deo. In Deo quippè, id eſt, in plena perfectione, eſt requies: in parte autem labor. In Deo laboramus, quamdiù ex parte ſumus, ſed cùm venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt. Hinc eſt etiam, quòd ſcripturas ipſas cum labore rimamur.

Idem D. Auguſt. In Pſalmum 118. *Sermone* 31.

C Septies in die, quod ait, ſignificat ſemper. Solet quippè iſte numerus eſſe univerſitatis judicium: propter quòd ſex diebus divinæ operationis, ſeptimus adjectus eſt quietis. Et per ſeptem dies currentes, & recurrentes, tempora univerſa volvuntur. Nec ob aliud dictum eſt, Septies in die cadet juſtus, & reſurget, id eſt, non perit juſtus, modis omnibus humiliatus, ſed non prævaricatus: alioquin non erit juſtus. Nam pro omni genere tribulationis, qua in conſpectu hominum deiicitur, poſitum eſt, ſepties cadit, Et pro eo, ex ipſis omnibus tribulationibus proficit, poſitum eſt, reſurget.

Idem D. Auguſtinus in Sermone de ſeptem ſigillis.

Legimus *in Apocal.* Septem ſigillis librum eſſe ſignatum, quem nullus potuit aperire, nec ſolvere ſignacula ejus. Nullus in cœlo, quia nec Angeli: nemo in terra, qui neque homo: nemo ſub terra, quia neque cæteri ſpiritus, niſi Leo de tribu Juda, radix David, id eſt, Chriſtus. Primum ſigillum, eſt Nativitas Domini. Secundùm, Baptiſmus. Tertium, Crucifixio. Quartum, Sepultura. Quintum, Reſurrectio. Sextum, Aſcenſio. Septimum, Judicium. Et hæc ſunt dona Spiritus Sancti. Primum, ſpiritus ſapientiæ, ut Chriſtus ex Virgine naſ-
D ceretur, ſine virili ſemine. Secundum, fuit Spiritus intellectus, ut per undam baptiſmatis omnia peccata dimitteret. Tertium, fuit ſpiritus conſilii, ut Caiphas dixit: Melius eſt, ut unus homo pereat, quam tota gens. Quartum, fuit ſpiritus fortitudinis, quando corpus in ſepulchro fuit, anima in inferno diabolum alligavit, & animas ſanctorum Patrum, quæ ibidem detinebantur, eduxit: proinde dicitur, quod infernum momordit. Quintum, fuit ſpiritus ſcientiæ, quando Chriſtus ſurrexit à mortuis, noſque fecit credere, & à peccato ſurgere. Sextum, fuit ſpiritus pietatis, quando aſcendit ad cœlos, & quotidie aſcendunt ad eum animæ juſtorum. Septimum, fuit ſpiritus timoris Domini, quando venturus erit Chriſtus ad judicium: quia grandis timor tunc peccatoribus erit. Iſtaque ſeptem dona Spiritus Sancti ſeptem Patriarchæ habuerunt. Spiritus ſapientiæ fuit in Adam, qui nomen impoſuit omni creaturæ, quæ ſub cœlo eſt. Spiritus intellectus in Noe, qui meruit audire à Domino. Fac tibi ar-
E cam de lignis quadratis. Spiritus conſilii in Abraham, quia nihil fecit præter conſilium Domini. Spiritus fortitudinis in Iſaac, qui ſuſtinuit injurias agentibus, cum quibus habitavit. Spiritus ſcientiæ in Jacob, quia cùm Domino locutus eſt in valle Mahanaim. Spiritus pietatis in Moyſe qui dixit: Dimitte peccata populi tui: & ſi non dimittis, dele me de libro, quem ſcripſit dextera tua. Spiritus timoris fuit in David, quando tradidit Dominus Saul in manu ejus. Et dixit David, Abſit hoc à me, ut mittam manus meas in Chriſtum Domini mei.

Idem Auguſtinus Epiſt. 119. quæ eſt ad Januarium, oſtendens quare Paſchatis feſtum celebretur die, qui mutari poteſt, & non recurrit eodem ejuſdem menſis die, Myſterium de Lunari numero explicans, inquit:

Hoc ergo & in Lunari numero ſignificatur, quia enim ſeptenarius numerus ſolet in ſcripturis ad quandam ſignificationem myſticus apparere, tertia hebdomada Lunæ, Paſcha celebratur, id eſt, qui dies recurrit è quarta decima in viceſimam primam.

Et paulò pòſt.

Septenario numero univerſitatis ſignificatio ſæpè figuratur, qui etiam ipſi Eccleſiæ tribuitur, propter inſtar univer-
E ſitatis, ideò Joannes Apoſtolus *in Apochalypſi* ad ſeptem ſcribit Eccleſias.

D. Chryſoſtomus, Homilia XIX. in Geneſim, in illa verba, Omnis qui occiderit Cain, ſepties ultione exquiſita ſolvet: Quid eſt, ſepties ultione exquiſita ſolvet, Primum quidem, ſeptenarius numerus, de multitudine dicitur in divina ſcriptura, id quod ſæpè in ſcriptura occurrit. Ut, quod ſterilis peperit ſeptem, & ſimilia. Conjectare autem hic licet, peccati magnitudinem, & quod non unum peccatum commiſerit, ſed ſeptem, quorum quodvis per ſe magna pœna luendum. Nam, quis vel venia dignaretur alteri invidentem, quod plus divina gratia potiatur? Ecce unum maximum, & inexpiabile peccatum. Deinde hoc majus oſtenditur, quia frater erat, cui invidebat, & nulla illum prorſus injuria affecerat. Ecce & hoc quoque non vulgare peccatum eſt. Jam tertium quòd dolos nexuit decepto, & in campum tracto fratre neque ipſam naturam reveritus. Quartum peccatum, ipſa erat cædes, quam perpetravit. Quintum, quòd fratrem occidit, eo-
G dem ex utero prognatum. Sextum, quòd primus cædis faciem introduxit. Poſtremum quòd rogatus à Deo omnium Domino, ubi eſt Abel frater tuus, mentiri illi auſus eſt. Dicit igitur. Qui te occidere attentaverit, ſeptem maximis pœnis, ſe ipſum reum faciet.

Georgius Cedrenus Hiſtor. compendio ſeptenarii numeri præſtantiam inde explicat, quia ſepties legantur, tam in veteri, quàm novo teſtamento excitati mortui. Author eſt Græcus, qui Fuggerorum impenſis, Latinitate donatus eſt. Septies, inquit, in S. literis legitur, aliquos ex morte vitam recepiſſe, Octavus, Chriſtus, de mortuo vivus extitit, qui & ſeptem illos in vitam revocaverat. Primus, in veteri Teſtamento fuit Sareptanæ Viduæ filius, ab Eliſa ſuſcitatus. Secundus, Sunamitidis filius, quem Eliſæus in vitam reduxit. Tertius, Miles, qui propè Eliſæi cadaver ſepultus, quaſi ex igne exſilivit. Quarta in Novo Teſtamento, Filia præfecti ſynagogæ. Quintus, Viduæ filius. Sextus, Lazarus. Septimò, quòd multa Sanctorum, qui obdormiverant, corpora cum Chriſto reſurrexerunt. Octavus; Chriſtus, poſt toleratum, ſalutis cauſa noſtræ ſupplicium, ex morte in vitam rediit. *Hactenus Cedrenus.*

H Memorabile eſt, quod *Joſephus, lib. 12. c. 15. in fine, & l. 13. Antiq. cap. 6.* commemorat, de ſchiſmatico templo, ab Onia, in Ægypto, contra templum Hieroſolymitanum, erecto. Et quomodo idem *lib. 7. belli Judaici cap. 37.* de eodem templo commemorat. Idem intus ſimile fuiſſe Hieroſolymitano, præterquam quod in eò non erat candelabrum, à Moyſe fabrefactum, ſeptem habens lucernas, quo deſignabatur Dominus Chriſtus, plenus ſeptem donis Spiritus ſancti, ut ex *Apocalypſi, & Zacharia* conſtat. Unde *Cyrillus lib. 4. in Joannem, cap. 28.* Tractans de candelabro Moyſi: Candelabrum, inquit, univerſum terrarum orbem illuminans, Chriſtus eſt, Ego, inquit, ſum lux mundi, ſeptem verò lucernæ in candelabro ſunt, quia multis, ac variis modis, per gratias S. Spiritus, credentium animas Chriſtus illuminat. Et quia illa gratia in ſola Jeſu Chriſti vera eſt Eccleſia, hinc in ſchiſmatico Oniæ templo non ſunt inventa ſeptem candelabra.

D. Cypria-

A *D. Cyprianus Eccleſiæ Chriſti Martyr, Tractatu de Spiritu Sancto.*

Lex igitur, à Paſchalis agni immolatione, die quinquageſimo datur: & Pentecoſtes nomen tantæ rei ſolemnitas ex lege accepit, in ipſo dierum numero ſacramenti magni complicans rationem. Septenarius quippe numerus ſepties revolutus, quinquageſimum efficit, addita monadè, qui præſentis ſæculi meta, & futuri initium, perpetuitatem ſub octavæ nomine continens, ſic præſentia terminat, ut nos ad perpetua introducat. Sacratus hic ſeptenarius numerus à conditione mundi auctoritatem obtinuit: quoniam in ſex diebus, prima Dei opera parata ſunt: & ſeptima, conſecrata quieti, quaſi ſancta, & ſanctificans ſolemnitate vocationis honorata, & ſpiritui ſanctificatori attitulata. Unde & ceſſanti à ſervilibus operibus populo jubetur, ut diem Sabbathi ſanctificet, & ſpiritu rectitudinis, & ſanctitudinis, & fortitudinis adſcribat, quod directè, quod honeſtè, quod viriliter incedit; quia totum ex ejus conſtat ducatu, quòd devii diriguntur, quòd impii convertuntur, quod debiles confirmantur. Spiritus rectus, ſpiritus ſanctus, ſpiritus principalis regit, componit, conſummat, & perficit, quas inhabitat mentes, & corda, quæ poſſidet: nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci, quos docuerit, quos poſſederit, quos gladio potentiſſimæ virtutis accinxerit.
B Septenarius iſte, ex quaternario, & ternario conſtans, cum in ſe, propter prædictas cauſas, honorabilis habeatur, habet ex partibus ſuis excellentiam maximam: quia artificis, & materiæ videtur exprimere, & diſtinguere primarias ſubſtantias: ut ternarius, creatorem, propter trinitatem enunciet, & quaternarius, creaturam, propter quatuor elementa, quæ rerum omnium cauſæ ſunt, & ſemina, ſub hujus numeri brevitate concludat. Spiritus ſanctus à patre procedens à patre, & filio, quaternario ſuperfertur: & conditor benignus opus ſuum amplectitur, & defigit, & plaſmavit, & creaturam ſuam ſanctus ipſe ſanctificat, & conſociat ſibi, & charitatis nexu ſtatuit, & conquadrat. His, aliiſque ſecretioribus rationibus, quas illuſtrium virorum ſubtiliora ingenia indagarunt, ſeptenarius numerus in ſcripturis ſanctis ſæpè ſacramentales cauſas complectitur, & ſimplex, & multiplicatus, neceſſarios ad intelligentiam divinorum operum parturit intellectus. In hebdomadibus, apud Hebræos, dies ſeptimus, Sabbathum, id eſt, requies appellatur: qui numerus, non tam in ſeptimanis, ſed etiam obſervatur in annis, & annorum hebdomada conſummata, ſeptimus annus requietionis eſt, & ipſi terræ Sabbatum imperatur, nec fas eſt cuiquam eo anno ſerere, vel mete-
C re quippiam, ſed quæ ſponte, ſive in terra, ſive in vineis, vel in arboribus naſcuntur, alimoniæ pauperum deputantur. Annorum quoque ſeptimanæ apud Hebræos quinquageſimum annum faciunt, quem Jubileum appellant, in quo decreto legis (ut ſupra dictum eſt) fit terræ remiſſio, & ſervorum libertas, & reſtitutio poſſeſſionum, quas eatenus diſtractio alienaverat, & cætera hujuſmodi gratis ad hæreditatis ordinem revertuntur. De numero ſeptenario cùm multa dictam ſint, plura ſuperſunt, quæ in lege, & Evangelio præcipuè commendantur. Quinquageſimus itaque annus, perficit Jubileum: quinquageſimus dies à Paſcha Pentecoſten facit, in quo verè Spiritu ſancto infuſo Apoſtolis, ad hæreditatem cœleſtem, à qua venundati ſub peccato exulabant, quos diabolo domino mendicitas, & egeſtas ſubjecerat, revertuntur. Septem ſacerdotalibus clangentibus tubis Hiericho corruit: ſeptem petitionibus orandum patrem filius docuit. Remiſſio peccatorum, duplicato ſepties ſeptenario, Petro mandatur: Leproſus, ſeptimi diei inſpectione, à ſacerdote judicatur: Summi Sacerdotis in ſeptem diebus conſecratio, conſummatur, Do-
D minus Jeſus Chriſtus de ſeptem panibus, quinque millia hominum reficit, & juſtus quiſquis Deo laudes per diem ſepties dicit: Ipſe Dominus Jeſus, ab Adam ſecundùm generationes, quas Lucas commemorat, ſeptuageſimus ſeptimus invenitur, ut ultionem in Lamech, ſeptuageſies ſepties promulgatam, veniens terminaret. Septem diebus in Paſcha editur azyma: ſeptem diebus menſe ſeptimo Tabernaculorum ſolemnitas celebratur. In ſeptem annis templum à Salomone conſtruitur: ſeptem brachiis, & totidem luminibus Candelabrum adornatur.

Idem D. Cyprianus de Exhortatione Martyrum ad Fortunatum. Cap. XI.

Quid verò in Machabæis, ſeptem fratres, & natalium pariter virtutum ſortes conſimiles ſeptenarium numerum ſacramento perfectæ conſummationis implentes? ſic ſeptem
E fratres in martyrio cohærentes, ut primi in diſpoſitione divina ſeptem dies, annorum ſeptem millia continentes, ut ſeptem ſpiritus, & Angeli ſeptem, qui aſſiſtunt, & converſantur ante faciem Dei, & lucernæ ſeptiformes in tabernaculo martyrii, & in Apocalypſi ſeptem candelabra aurea, & apud Salomonem columnæ ſeptem, ſuper quas ædificavit domum ſapientia: & iſtic ſeptem fratrum numerus, Eccleſias ſeptem, numeri ſui quantitate complexus, ſecundùm quod in primò Regum libro legimus, ſterilem ſeptem peperiſſe. Et apud Jſaiam ſeptem mulieres unum hominem apprehendunt, cujus invocari ſuper ſe nomen expoſcunt. Et Apoſtolus Paulus, qui hujus legitimi numeri, & certi meminit, ad ſeptem Eccleſias ſcribit: Et in *Apocalypſi*, Dominus mandata ſua divina, & præcepta cœleſtia ad ſeptem Eccleſias, & earundem Angelos dirigit, qui nunc iſtic in fratribus numerus invenitur, ut conſummatio legitima compleatur.

Idem D. Cyprianus lib. 1. adverſùs Judæos.

Item in *βαζιλεῖν* primo: Sterilis ſeptem peperit, & quæ plurimos habebat filios, infirmata eſt, Filii autem ſeptem ſunt Eccleſiæ ſeptem. Unde & Paulus ſeptem Eccleſiis ſcribit: Et Apocalypſis Eccleſias ſeptem ponit, ut ſervetur ſeptenarius numerus, ut dies ſeptem, quibus Deus mundum facit, ut Angeli ſeptem, qui aſſiſtunt, & converſantur ante faciem Dei. Si-
F cut Raphael Angelus *in Tobia* dicit. Et lucernæ ſeptiformes in tabernaculo martyrii: & oculi domini ſeptem, qui mundum ſpeculantur: & lapis, cum oculis ſeptem, ut *Zacharias* dicit, & ſpiritus ſeptem, & candelabra *in Apocalypſi* ſeptem, & columnæ ſeptem, ſuper quas ædificavit domum ſapientia apud Salomonem.

D. Hieronymus, ſub finem Apologiæ contra Jovinianum, ita ſcribit: De impari numero diſputarunt Clemens, Hippolytus, Origenes, Dionyſius, Euſebius, Didymus, noſtrorumque Tertullianus, Cyprianus, Victorinus, Lactantius, Hilarius.

Vide Macrobium l. in Somnium Scipionis, Gellium, lib. 3.

Hilarium de eodem paucis *in præfatione in Pſalmos*. Et paulò latius, in illud *Pſalmi*, Septies in die laudem dixi tibi.

OCTONARIUS.

Numerus hic è quaternariis duobus conficitur, & inter numeros perfectos recenſetur. Eſt enim numerus ſalutis, ex quo includitur in ſalutifero nomine Jeſus numerus 888. ut fusè dictum à nobis fuit in loco de illius nominis excellentia, & arcanis.

G In *Geneſi* legimus, Abrahamum expediviſſe vernaculos CCCX. & VIII. dum procederet liberaturus fratrem ſuum ex manibus Regum, *cap. 14.*

Ubi *Ambroſius, Eucherius, & Rupertus*, non numeri quantitatem, ſed electionis meritum exprimi adfirmant. Eos inquiunt, Abraham adſciſcit, quos numero fidelium judicavit dignos, qui in Domini noſtri paſſionem crederent. T. enim quòd Græcis 300. ſignificat, ſignum eſt Crucis. I. & H. quæ decem, & octo valent, initium ſunt, & abbreviatum nomen Jeſus conſtituunt, deeſt tantùm litera S.

Niſi dicamus, cum iiſdem ſcriptoribus, hiſce 318. Abrahæ militibus præſignificatos 318. Patres qui in Synodo Nicæna Artium ſuperarunt. *Hæc Pererius tom. 3. in Geneſ.*

Plato voluit Convivium aptè conſtare ex XXVIII. pro Lunæ curſu, quæ 28. die redit ad idem Zodiaci, unde proceſſerat, punctum.

Xenophon octo volebat convivas.

Heliogobalus Imperator *teſte Lampridio*, ſimul ad cenam vocare conſueverat octo calvos, octo luſcos, octo podagricos, octo ſurdos, octo raucos, octo inſigniter nigros, octo valdè
H longos, octo obeſos, octo naſutos, delectatus illo Proverbio Græc. ἅπαντ' ὀκτὼ. i. omnia octo, de quo vide *Eraſ. in Adag.*

Certè octo Beatitudines, quæ ſunt velut via ad æternam beatitudinem, Chriſtus in monte propoſuit. Et Circumciſio olim die octavo facta: ad inſinuandum, quod in die reſurrectionis, Sanctorum corpora ab omni prorſus labe purgabuntur corruptionis.

NOVENARIUS.

☞ *Vide locum de Annis Enneaticis.*

Etiam Novenarius eſt Hieroglyphicus, ſignificat enim plurimos, quod *Theon in Arati* carmine obſervat, ἐννεάγηρα κορώνη, non quòd 9. inquit, ætates vivat, ſed quòd perquam diù.

Heſiodus comminiſcitur, ex quo novem ſunt Muſæ, Jovem novem noctibus, cum Mnemoſyne manſiſſe, & qualibet nocte unam ſuſcepiſſe.

Angelorum Choros novenario numero diſtingui, di- A ctum eſt. *loco de Angelis.*

Nonus dies naſcentium olim ſolemnis habebatur, eratque laſtricus, & ſimiliter nonus dies morientium celebris erat, quia eò die defuncti cineres tumulabantur, ſacraque peragebantur, quæ Novendialia vocabantur. *Horat. in Epod.*

Novendiales diſſipare pulveres.

Donatus in Commentario Phormionis tradit, in funere nonum diem voti inſtaurationem habere.

Cælius Rhodig. lib. 17. c. 21. Ethnicorum morem fuiſſe ait, diebus novem mortuos flere. Unde & Novendialium ſacrorum conſuetudinem natam ſcribit.

Novendiales ferias agnoſcit *Feſtus*, à numero dierum.

In ſacris litteris nonnulla hujus numeri myſteria agnoſcimus: Fratres Joſeph dimiſſi ex Ægypto ad Patrem, novem erant. Unus enim detinebatur cum Joſeph, Dies Expiationis menſis ſeptimi poſt 9. diem celebratur. *Levit.* 13. Anno 9. regni Oſeæ, Salmanaſar Rex Aſſyriorum Samariam cepit: Die 9. Julii utrumque templum vetus everſum fuit.

In nona lege circa horam 9. Chriſtus emiſit ſpiritum. Et Eccleſia 9. Hebdomadibus intermittit Alleluja.

Denarius.

B Denarium *Proclus* vocat numerum Circularem, & numerorum finem, quippe diſſolutus in monodum redit, & monodos coacervatur in denarium. Olim denarius numerus in convivio placebat. Conſtat apud Homerum 2. *Iliad.* & plus decem ſolitos non accumbere, *Euſtatius* teſtis eſt.

Apud Judæos in conviviis nuptialibus non minores quàm decem poterant intereſſe. Philoſopi decem conſtituunt prædicamenta. Et totidem ſphæras cęleſtes.

Chriſtus in parabola operariorum miſſorum in vineam, vocat operarii mercedem denarium diurnum. *Matth.* 20.

Deus daturus populo legem in veteri Teſtamento, decem præceptis, ſive decalogo eam complexus eſt.

Abraham poſtualabat pro decem juſtis, ſi reperti fuiſſent in Sodomis. Cujus myſticam expoſitionem vide infra, numero Quinquaginta.

Occurrerunt enim Chriſto decem Leproſi, quos in via mundavit.

Solvi debebant Deo Decimæ. *S. Auguſt. ſerm. de decimis*: Attende ait, quòd creatura Decima inter Intellectuales ſit homo, quia 9. ſunt Chori Angelorum, Decimus ordo eſt hominum. Unde & per 10. Virgines prudentes univerſitas ſalvandorum in Evangelio inſinuatur. Legatur *Greg. in c. 29. Job. Au-* C *guſt. de doct. Chriſt. l. 2. Irenæus adverſ. Hæreſes l. 1. c. 15.*

Undenarius.

De Undenario numero habemus, quòd quidam venerunt in vineam circa horam undecimam, adumbratum hìc Matthiam vult Athanaſius *quæſt.* 51. qui annumeratus fuit cum undecim Apoſtolis, *Act. cap.* 1.

Eſt autem undenarius numerus imperfectus, ad res ſæculi pertinens, ait *S. Hieronym. c.* 1. *Zachariæ*, quia denarium tranſgreditur, & ab unitate diſcedit. Unde tranſgreſſionem divinæ legis deſignat.

Beda eo numero Antichriſtum ſignificari, *Apocal.* 17. docet, nempè per undecimum cornu: eoque numero notari illius prævaricationem, notat *Greg. in Pſal.* 11.

S. Auguſt. dicit eſſe numerum Imperfectionis. Eſt, inquit, Denarius Juſtitiæ numerus in decem præceptis, peccatum legis tranſgreſſio utique in undenario figuratur. Unde in Tabernaculo fieri jubentur XI. Vela cilicina. *lib. 2. de Concor.* D *Evang. cap.* 4.

Duodenarius.

Eſt numerus Apoſtolorum, portarum etiam cæleſtis Hieruſalem. Item 12. fontium, & palmarum, quæ invenerunt filii Irael in Elim. *Exod.* 15. Ipſi etiam filii Iſrael numero duodecim erant.

Vocatur à veteribus numerus Jovis, quia curſum ſuum ſol menſibus XII. per ſigna XII. decurrens abſolvit.

Quo referri poteſt convivium Auguſti Cæſaris, in quo *teſte Suetonio*, 12. convivæ Deorum, Dearumque habitu accubuerunt.

De hujus autem numeri perfectione videatur *Aug. lib.* 20. *de Civitate, cap.* 5. ad illa verba: Sedebitis & vos ſuper ſedes XII. judicantes &c.

Certè poſt 12. manſiones in deſerto, Deus dedit populo legem, Duodecim lapides pretioſi in pontificis ve- E ſte, quam vocabant Rationale, intexebantur: unà cùm nominibus XII. Patriarcharum. Fuerunt quoque XII. exploratores, qui conſiderarunt terram Chanaam. XII. ſunt fructus Spiritus, quos Paulus enumerat *ad Gal.* 5. *Joannes in Apocal.* Viderat ex unaquaque tribu XII. millia ſignatorum.

Quadragenarius.

Numerus hic in ſcriptura frequens eſt. Tempore Diluvii pluit Dominus XL. diebus, & noctibus, *Gen. cap.* 7. Cumque tranſiſſent XL. dies aperuit Noe feneſtram arcæ, & dimiſit corvum.

Eſt verò numerus iſte ſacer jejunio Moyſis, Eliæ, Chriſti.

Rurſus XLII. manſionibus Hebræorum in deſerto: & peregrinationis XL. annorum, quando pane Cæleſti fuerunt aliti, & fuerunt in Ægypto 40. decadas. 1. annis CCCC.

Etiam Chriſtiani à tempore Apoſtolorum, quadragenarium Jejunium ſervant, quod nomine Quadrageſimæ appellant.

Inſuper eſt numerus pœnitentiæ, ſic Jonas prædicebat Ninivitis excidium poſt dies X L. Infrà quos tamen il- F li egerunt pœnitentiam:

Chriſtus fuit in ſepulchro horis 40. Ac poſt reſurrectionem diebus XL. fuit cum Apoſtolis, & diſcipulis, ut eos inſtrueret, loquens de regno Dei.

Ita etiam recens natus, manſit diebus XL. in antro Bethlehemitico: quadrageſimo verò die venit ad templum cùm matre ſua benedicta, ut legem quæ erat de primogenitis Deo ferendis, ſervaret, quando & à Simeone in ulnas acceptus fuit. *Lucæ cap.* 2.

Quinquagesimus.

Numerus hic Jubilæi eſt, & plenariæ remiſſionis. De quo diximus ☞ *In loco de Jubilæo.*

Quinquageſimo poſt reſurrectionem die, datus fuit Spiritus Sanctus, & effuſus in Apoſtolos, qui ob metum Judæorum incluſi erant, juxta promiſſionem illis factam.

Etiam aquæ Diluvii obtinuerunt terram 150. diebus.

Abraham ſupplicaturus pro Sodomitis incepit à numero quinquagenario, dicens, ſi inventi fuerint 50. juſti, & iſta deſcendit, uſque ad decem. Quam rem myſticè exponens Thomas Anglicus, ſcribit in hunc modum. Cur Abraham G certa quadam gradatione precum à quinquaginta pervenit uſque ad decem, nonne melius, & facilius fuiſſet, à principio rogare pro decem? Reſpondendum eſt, Abraham tum propter Dei reverentiam, tum propter magnitudinem rei poſtulandæ non eſſe ſtatim auſum petere pro decem: verùm Deo concedente in quinquaginta; audaciorem eſſe factum ad petendum pro quadragintaquinque, & ſic deinceps uſque ad decem. Prætereà Deus occultè monebat animum Abrahæ ad petendum eò potiùs modo, quàm alio; quòd vellet formulam ejus precationis ſpiritualibus quoque myſteriis deſervire. Etenim ſex illis numeris, quos Abraham commemoravit 50. 45. 40. 30. 20. & 10. deſignantur omnia genera, omneſque gradus juſtorum, quotquot nunc in terris ſunt, aut fuere olim, aut futuri aliquando ſunt. Nam quinquagenarius numerus denotat plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti, & ſupremum juſtorum vitæ genus in perfecta Dei contemplatione (qualis eſſe in terris poteſt) & ardentiſſimo ejus amore collocatum. Supra hunc perfectionis gradum non eſt aſcendere altius, dum hìc vivitur. Ad hoc genus vitæ pertinet, quòd de H Maria dicit Dominus: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Deſcenſus à quiquaginta ad quadraginta per duos quinarios, ſignificat inferius quoddam genus juſtorum in exteriore actione poſitum, ſimile miniſterio Marthæ, cui dixit Dominus: Sollicita es, & turbaris erga plurima.

Verùm duplex eſt genus vitæ activæ, in qua ſe juſti exercent. Eſt enim quoddam principaliter quidem activum, ſed aliqua tamen ex parte etiam contemplativum, quod per numerum quadraginta quinque adumbratum eſt. Nam quadraginta eſt numerus operationis, & laboris; additus verò quinarius, quo ille appropinquat ad quinquaginta, ſignificat participationem quandam contemplationis. Alterum eſt genus vitæ activæ deſignatum per quadragenarium numerum, in externa ſolùm actione

actione, & corporalibus miniſteriis occupatum, & per cor- A poralis miſericordiæ opera, juvandi hominibus deſtinatum.

Sequitur deinceps à quadragenario numero deſcenſus ad denarium per tres denarios. Et denario quidem ſignificari obſervationem Decalogi, per ſe manifeſtum eſt; triplicata verò denarii repetitio, ſive diminutio à quadraginta uſque ad decem, indicat tres modos, obſervandi Decalogum, vel tres gradus eorum, qui eum obſervant. Primus gradus eſt eorum, qui ducuntur ad præceptorum divinorum obſervationem, ſolo Dei, puroque amore, quòd ipſe digniſſimus per ſe ſit, ut ejus voluntati obtemperetur, ejuſque præcepta diligentiſſimè obſerventur. Medius gradus eorum eſt, qui ad exequenda Dei præcepta alliciuntur, & feruntur contemplatione, ſpeque ingentium utilitatum, atque animi voluptatum, quæ obſervationem divinæ legis conſequuntur. In horum hominum claſſem retulit ſe regius Propheta David, cùm de præceptis Dei dixit: Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem pretioſum multùm: & dulciora ſuper mel, & favum. Etenim ſervus tuus cuſtodit ea: in cuſtodiendis illis retributio multa.

Tertius, atque infimus obſervatorum Decalogi gradus, eo- B rum eſt, qui ſervili quodam timore divinæ vindictæ, terroreque ſupplicii æterni, quo prævaricatores divinæ legis puniendi ſunt, ad cuſtodienda Dei quaſi compelluntur, & trahuntur. At talem quidem animi affectum erga Dei præcepta licèt is hominum ſit valdè imperfectorum, David tamen non eſt aſpernatus: quin etiam dari ſibi eum peroptavit, & à Deo precatus eſt, dicens. Configè timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui, quaſi diceret, cupio omni modo adhærere mandatis tuis; ſi amor recti, & honeſti non ſemper vim habuerit revocandi me à carnalibus affectibus, & voluptatibus, equidem vehementer cupio idque etiam, atque etiam te rogo, ut timor tuæ juſtitiæ, graviſſimis pœnis violatores legis tuæ ulciſcentis, altius penetret, ac penitus intret animum meum, & fixus in eo ſemper hæreat: ut hac ſaltem ratione, ab aſſenſu, & obſequio turpium cupiditatum, & voluptatum me prorſus abſtrahat.

Centesimus, ſive Centenarius.

Centenarius numerus ex denariis, & quidem decem com- C pactus, eſtque duplex ad quinquaginta, vitæ cœleſtis habet figuram. Hujus Symbolum fuit, quod artium tabernaculi juſſum fuerit extendi ad cubitos centum. *Exodi* 27. de quo vide *Bedam in comment. loci.*

Noe anno centeſimo abſolvit Arcam. Centenario Abrahæ Iſaac promiſſus naſcitur. Idem centenarius peregrinatur ad terram promiſſionis. Iſaac quoque centuplum ſeminis in peregrinatione jacti in Geraris accepit.

Christus relinquentibus temporalia promittit centuplum. Et agrum fertiliſſimum aſſerebat centuplum producturum. *Luc.* 8. Atque olim 1. *Paralip. cap.* 20. Augeat, inquit Scriptura, Dominus populum ſuum centuplum quàm ſunt. Idem Dominus in Evangelio dixit ſe habere centū oves, inſinuans plenitudinem rationalium creaturarum. Etiam Centurionis fidem prætulit Iſraeli, atque in illo electionem gentium extulit.

Quadringentesimus.

Petrus Bongus in myſteriis Numerorum obſervat, numerū quadringenteſimum nunquam à Scriptura divina uſurpari D laudabiliter. Nam eo numero conſignantur miſerabiles illi, quorum ſe David fugiens Saulem ducem exhibuit. 1. *Reg.* 22.

Prophetæ lucorum, quos Elias interfecit, numero fuerunt. 400. 3. *Reg.* 18.

Prophetæ etiam Baal, qui conſulentem eos regem Iſrael deceperunt, totidem numero erant. 3. *Reg.* 22.

Muri Jeruſalem tot cubitis leguntur deſtructi. 4. *Reg.* 14.

Viri, quibus Eſau fratrem ſuum Jacob perſecutus eſt, erant quadringenti. *Geneſ.* 32.

Peregrinatio, & ſervitus Hebræoruum tot annis duravit. *Actor.* 7.

Hæc quidem de celebriorum numerorum myſteriis, & ſymbolis eorundem dicta ſunto. Plura reperiet Lector apud Petrum Bongum, Libro de myſteriis Numerorum. Neque enim propoſitum nobis fuit, omnia omnium Numerorum explicare myſteria, ſed eorum duntaxat, quorum frequentior ſit mentio in ſacris Litteris. Atque illa etiam myſteria, quæ primo ſtatim intuitu ſimilitudinem quandam ingenerant eorum, quibus accommodantur. Monendus tamen eſt Lector ſententiæ, & cenſuræ S. Chryſoſtomi, cujus meminimus ſuprà, *Tit. Numerorum myſteria.* E

* Numerorum Varietas.

Juxta varias diſciplinas varii ſunt numeri. Eſt enim Arithmeticus, Muſicus, Phyſicus, Oratorius, Poeticus, Grammaticus. Numeri Arithmetici apud Latinos ſunt. Primum Romani, ut I. V. X. L. C. M. D. *Priſc. lib. de pond. & menſur.* Latini per I. unum notant, quinque per V. quia quinta eſt vocalis, a. e. i. o. u. decem per X. quia decima eſt conſonans apud Græcos, β. γ. δ. ζ. θ. κ. λ. μ. ν. ξ. Quinquaginta per L. quia apud antiquos Græcos L, pro N, qua nota eſt quinquaginta ponebant, *teſte Apolline, & Ludio Tarrheo.* Unde Latini quoque lympha dicunt, pro nympha, aquam, vel fontem volentes monſtrare. Centum autem per principalem nominis literam C. quingenta per ſequentem litteram conſonantem. Nam poſt C, D. ſequitur. Mille ſecundum Atticos per X. Græcam, ſed ut ſit differentia à decem circumſcriptis lateribus (X). Quinque millia per I. & duas à dextra parte Apoſtrophos IↃↃ. Decem millia CCIↃↃ. Quinquaginta millia, IↃↃↃ. Centum millia CCCIↃↃↃ. vel CMↃ. II. Barbarici, qui vulgò nunc uſitari etiam Germanis, & aliis Europæis populis: qui quidem ab Indis ac- F cepti videntur. Vide notas horum in Grammatica Arabica *Thomæ Erpenii, lib. 1. c. 1. p. 17. hi ſunt* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 0.

Porrò numerus eſt:

1. Digitus μοναδικὸς, qui minor denario, ut 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. dicti ſunt hi, qui tanquam digiti ſinguli per ſe apprehendunt.

2. Articulus, in decem æquales partes dividuus, ut 10. 20. 30. &c. Denarius eſt inſtar internodii. o circulus per ſe nihil valet, ad dextram poſitus tantum auget valorem præcedentis notæ. Vulgo citrà, vel meliùs ſiphra; à בכר numerare, quia eximiè numeris ſervit, quibus ea nota addita dat, quod non habent.

3. Compoſitus, ex digito, & articulo: ut 12. ex 2. digito, & 10. articulo, & omnis numerus inter duos articulos proximos.

Numeri Grammaticè conſiderati ſunt,

I. Nominales.

1. Cardinales, ut unitas μόνας, binarius δυάς, &c.
2. Ordinales, primus, ſecundus, &c.
3. Diſtributivi, ſinguli, bini, terni, &c.
4. Multiplicantes, ſimplex, duplex, triplex. Item bipartitus, tripartitus.
5. Rationales, proportionales, indicantes pondus, ut ſim- G plus, duplus, triplus.
6. Temporales, ut bimeſtris, trimeſtris, biennis, &c.

II. Adverbiales, ſemel, bis, ter, &c.

* Numiſma.

* Definitio, & Etymologia.

NUmiſma, vel Nomiſma, idem valet Grammaticis, quòd nummus ἀπὸ τ νόμου i. à lege. Cùm enim homines inter ſe mutuo permutationis uterentur commercio ante cuſum numiſma, poſteà lege introductus eſt nummus, vel numiſma. Apud antiquitatis amatores tamen nomiſma ſtrictius patet, quàm nummus, neque enim numiſmata in illo uſu, quo nummi: nempè ut pretiis emendo vendendoque ſerviant inſtar pecuniæ. Sed quæ familiari, & uſitata voce numiſmata vocamus, alii vulgari appellatione vocant medallias. Quam vocem à metallis quibus conſtant, auro, argento, & ære deductam volunt. Sunt ergo numiſmata velut priſcæ monetæ nummi. Quanquam Pomponius I. C. nomiſmatum aureorum, & ar- H genteorum meminerit, quibus pro gemmis uti ſolebant. Alibi tamen *Horatius* numiſma vocat monetam Philippi Regis Macedoniæ, *lib. 2. Epiſt.* 4.

Rettulit acceptos regale nomiſma Philippos.

Igitur aurum, & argentum, ac æs ſignata, in monetis ſunt numeranda, & numiſmatum nomine intelliguntur.

An verò in monetis numeranda, quibus vulgus uti olim conſuevit, non convenit apud omnes. Cùm quædam inveniantur affabrè adeò efficta, quæ & hodiè magni fiunt; erugine ſplendentia, quæ manibus vulgi attrita fuiſſe quis credat; Sunt & alia præſertim Neronis, & Had. Imperat. ſummis artificibus ſculpta.

Numismata Quotuplicia.

Duplicem monetam veterem fuiſſe, adeòque duplicia numiſmata conſtat. Quædam enim erat vulgaris, quæ circumferebatur, uſuque valebat. Alia, quæ Principium Legatis oblata, aut in vulgus ſparſa, è quibus largitiones fiebant, & Miſſili,

Roma-

Romanis dicebantur, eaſque Romani inter gemmas, & dona- A ria recenſebant, ad eum modum, quo etiam hodiè publicam monetam habemus. Itaque minores nummi monetæ uſum habebant: majores Numiſmatum. Sic reperitur numiſma æreum, quod una ſui parte laurum exprimit, altera verò torques, & armillas, cum hac inſcriptione: Jo Jo Triumphè.

Sic in multis æreis, & argenteis reperiuntur litteræ S. C. ut indicentur Senatuſconſulti auctoritate eos cuſos, item A. P. id eſt, ex argento publico. In aliis alia ſunt ſymbola, Hieroglyphica, inſcriptiones. De quibus conſulat Lector Dialogos. *Ant. Aug.* quos nuper Latinitate donavit Vir doctiſſimus noſtri ævi *P. Andreas Scotius è Societ. Jeſu*.

Quæ Utilitas Ex Iisdem.

Primum id conſtat, pictoriæ, ſculptoriæ, & id genus artifices, variam è Numiſmatum conſideratione utilitatem accipere poſſe. Cùm ſint plerumque elegantiſſimæ, ac ſummæ artis, quam ſecula poſt Imperatorem Galienum, quando artes priſtinæ multùm labefactatæ, magis mirari, quàm imitari potuerunt.

B Neque parva utilitas viro litterato cenſenda eſt, quod ex Numiſmatibus veterum, Regum, Imperatorum, aliorumque virorum domi, militiæque celebrium, cultum, geſtus, ornamenta nullo negotio internoſcere poſſit, & ad Hiſtoriarum ſolidiorem cognitionem multùm etiam facere, experientia notum eſt, Numiſmatum conſiderationem.

Adde, quòd non modò vultus, ac Imagines Principum, eorumque geſtus, ſed multa inſuper Hieroglyphica, ſymbola, emblemata, & pleraque hujus generis, quæ ingenioſa antiquitas protruſit, variarum rerum argumenta hauriamus, quæ etiam noſtro ſeculo, & moribus non invenuſtè conveniant, & pro occaſione rei natæ queant accommodari. Inde enim non modica Antiquitatis notitia exurgit, multa quoque ingenioſè, & acutè inventa ingenium noſtrum acuunt ad ea inveſtiganda. Item ſimulacra plurium rerum, quæ nos inſtruant. Inſtrumentorum videlicet, animalium, rerum naturalium, Deorum, veſtimentorum. Nominum propriorum veram orthographiam, Familiarum ortus, vel interitus, ex Numiſmatibus erui non obſcurè poſſunt.

C Genera Varia.

Numiſmatum genera varia deſumuntur ratione gentium exterarum, & idiomatum. Alia enim, quæ Romanæ reip. Latina ſunt; alia verò Coloniarum, ac Municipiorum Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, itidem Latina: quædam Græcè ſunt inſcripta: eaque locorum, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Siciliæ; pleraque verò Achajæ, Peloponneſi, Thraciæ, Macedoniæ, finitimorumque inſularum. Alia ſunt Aſiæ Numiſmata, quædam etiam Africana, ut Cyrenarum. Peregrini verò idiomatis nummi extant Carthaginenſium: extant & Siciliæ Punicis characteribus notati. Reperiuntur & Judææ, ac Syriæ, ſuis litteris inſcripti. Quin & Italici viſuntur ignotis characteribus inſigniti, linguæ fortaſſis Oſcæ, vel Etruſcæ. Hiſpanicos quoque videre memini, qui veteris, atque obſoletæ jam linguæ veſtigia præferrent, inquit *Antonius Auguſt. in fine Dialogi primi*. Qui addit, ſe & Gothica habere numiſmata, fortaſſis Gothorum, qui Hiſpaniæ, & Italiæ olim imperarunt. Inſuper Arabica, hinc Arabicis, altera parte Græcis litteris inſignita, putatque ea in Sicilia olim cauſa à Chriſtianis. D Quamvis, & alia aſſerat à ſe viſa, quæ integrè characteribus conſtabant Arabicis, de quorum antiquitate non poterat æquum fieri judicium.

Reperta.

☞ *Pete ex loco de Divitiis. Titulo Numiſmata reperta.*

NUMISMATUM CULTORES.

Abundat Italia Numiſmatum, Antiquitatis cultoribus etiam hodiè, neque id ſtudii niſi à majoribus acceptum perſequitur. Aſinium Pollionem ferunt primum in alma urbe libros collegiſſe, & Bibliothecas imaginum ſpecie ornaſſe.

Harum ſtudio flagraſſe ferunt T. Pomponium Atticum, & M. Terentium Varronem, togatorum doctiſſimum. Teſtes erant, olim editæ, nunc amiſſæ, Illuſtrium virorum à ſeptingentis urbis conditæ annis Imagines: additis etiam brevibus verſibus, tanquam rerum geſtarum, Magiſtratuum, ac Triumphorum indicibus.

Athenis verò Atticis antiquius id ſtudium, ubi & Gymnaſiis ſtatuas adhibebant. Unde & Atticus ille Ciceroni, per- familiari ſuo, unà cum Bibliotheca Hermathenas, & Hermeraclas dono mittit, & mercurio ficto eloquentiæ Deo, ſcien- E tiæ præſes Pallas, & roboris dĕcus Hercules jungebatur. Quibus Hermis à varia porticu ad regiam uſque Athenis plena compita, referente apud *Suidam* Calliſtrato.

Sic & Romæ innumerabiles ſtatuæ benè de Repub. meritis collocatæ, ut & ſtatuarum officina M. Catoni, ac dicacibus videretur.

Alexander quoque Auguſtus in Lario ſuo inter ceteras & Chriſti Servatoris dedicavit.

Muſæ præterea ſtudiorum tunc auſpices creditæ, in Gymnaſiis à M. Tullio nobiliore conſecratæ, ut in Liciniana Tullius refert: Faſtoſque eiſdem, & Herculi dedicaſſe auctor eſt *Macrobius*. Addit enim Herculem Muſagetem Eumenius Panegyrico de Scholis inſtaurandis. Ædem, inquit, Herculis, & Muſarum in circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia Cenſoria fecit: non id modò ſecutus, quod litteris, & ſummi poetæ Ennii amicitia duceretur, ſed quòd in Græcia, dum eſſet Imperator, acceperat Herculem Muſagetem, id eſt, Comitem, ducemque Muſarum.

Ad hujus ſe Fulvii cognominis imitationem noſtro ſæculo F feliciter comparavit Fulvius Urſinus, Romanus & ipſe, & Muſarum delicium: omniſque adeò antiquitatis, doctrinæ Hiſtoriæ, familiarumque Rom. longè peritiſſimus. Collegit is pridem ingenti ſumptu librorum veterum, marmorum, numiſmatum, ex auro, argento, ære, & gemmarum incredibilem copiam. Quem penes ſe theſaurum ſervat, non incubat tamen, ut Heſperidum horti cuſtos ille draco, ſed eruditis peregriniſque hominibus Antiquitatis ſtudioſis identidem oſtendit, digitoque commonſtrat.

Quæ quidem omnia à ſe viſa ante annos non ita plures in æs affabrè inciſa evulgavit *Theodor. Gallæus* Inciſor Antuerpianus.

Sed & Cæſarum omnium imagines, numiſmata, nummos ſummo quoque ſtudio complexus eſt Antonius Zantanus, Eques: ut Conſtantius Landus Complani Comes: Qui etiam, prior quidem figuris in ære expreſſis, poſterior erudita explicatione; hoc de numiſmatibus argumentum mirificè illuſtrarunt.

Etiam Cæſar Baronius S. R. E. Card. in illis ſuis Annalibus, numiſmatum inſcriptiones, & imagines ad hiſtoriæ, & anti- G quitatis demonſtrationem adducit. Certo argumento, quantum horum ſtudio fuerit oblectatus, quorum memoriam, & auctoritatem non dubitavit celebrare.

Lævinus Torrentius II. Epiſcopus Antuerpienſis rara pietate, & eruditione antiſtes, rerumque veterum admirator ſummus: ſi quas ferias aliquando concederent Eccleſiæ ei creditæ gubernacula; ſancto, & jucundo otio eas tranſigebat, vel ſacrum aliquod poema in quo genere excelluit, pangendo, vel rem litterariam, & nummariam illuſtrando. Quin & numiſmata aurea, argentea, ærea temporis ſucceſſione comparaverat non minimi pretii, eaque occaſione in XII. Cæſaribus Tranquilli enucleate deſcribendis feliciter deſudavit.

Antonium Auguſtinum hoc loco præterire nec poſſum, nec debeo. Siquidem Archiepiſcopus Tarraconenſis, quam tota vita erga rem nummariam ſolicitudinem, & curam geſſerat, eandem negotiorum mole oppreſſus exhibere non deſtitit. Ut qui Numiſmatum ænigmata dialogis XI. adeò elucidavit, ut hactenus, repertus ſit nemo, qui ne dicam anteponi, ſed ne componi quidem valeat. H

Abrahamus Ortelius Coſmographus Regius omnis antiquitatis cultor eximius extitit. Ut qui inter ſelectam librorum ſupellectilem, etiam numiſmata cujuſvis generis ſumma omnium admiratione collegerat, quorum Theſaurum Colius Ortelianus V. C. Hæreditatis, ac teſtamenti jure accepit.

Quis te hoc in ſtudio non omnibus aliis præferendum arbitretur, Carole Croiie Princeps Arſchotii inclyte, qui theſaurum ingentem numiſmatum tuo ævo cumulaſti, qualem vix ante te quiſpiam, ſive metalli genus, & pretium, ſive antiquitatis conſideremus monimentum? Crevit enim ſub te numiſnatum cumulus etiam apud alios viros illuſtres, qui exemplo tuo hoc ſtudium fuerunt conſectati. Numiſmata verò illius aurea Julio Cæſare uſque ad Heraclium Imperat. typis expreſſa nuper fuere, unà cum methodica eorundem explicatione, Antuerpiæ anno M. DC. XV. uti, & biennio poſt: numiſmata aurea, argentea, ærea, Julio Cæſare, uſque ad Valentinianum Auguſtum.

Supereſt etiamnum Antuerpiæ, quem diù Reipublicæ A iſtius bono ſupereſſe Deus donet! Vir nobilis cùm genere, tum virtute, quæ ad frequentem urbis iſtius Conſulatum ei viam aperuit; Nicolaus Roccox, eques. Qui inter alia virtutis, & nobilitatis ornamenta, omnis rei antiquariæ, ac Numiſmatum præcipuè Romanorum, quorum elegantem theſaurum magno ære comparavit; peritiam ſuprà alios quoſvis exquiſitam habet, abundat ſignis, picturis primorum artificum inſuper nummis aureis, argenteis, æreis annulis priſcis, atque id genus κειμηλίοις.

Obiit nuper hac etiam laude percelebris Dionyſius Villarius, Eccleſiæ Tornacenſis Canonicus, & Cancellarius. Ut ad cujus domum ceu omnis antiquitatis, & rerum exoticarum officinam, concurrebant undequaque omnes: & liberales numiſmatum, ſignorum, monumentorum, inſtrumentorum quorumvis communicatione, unà cum viri integerrimi benignitate fruebantur.

☞ *Videat Lector, quæ in Loco de Divitiis adducta ſunt de Numiſmatibus repertis, Titulo de iiſdem particulari.*

B * SCRIPTORES. CÆLATORES. Incisores.

Qui numiſmatibus cælandis, & ad vivum exprimendis artem, & operam ſuam magno Reipublicæ bono impenderunt, non malè de tota antiquitate meriti videntur. Nam & illarum rerum memoriam ad ſeram poſteritatem tranſmittunt, quarum indagatio utilis, & cognitio neceſſaria, neque enim in ſubſtantia, ut ita dicam, & natura ſua, ad omnium manus numiſmata devenire aut ſolent, aut poſſunt: cùm quòd non ita paſſim obvia à quocunque habeantur: tum quòd lautioris fortunæ dominos requirant, cùm ampliora ſint eorundem pretia. Et nihilominus ut ad multos in icone expreſſa deveniant, nihil obſtat.

Primas in hoc opere pleriſque habere videtur Hubertus Goltzius Herpipolita Venlonianus. Qui peragratis variis Europæ Provinciis, & luſtratis clariſſimorum virorum Bibliothecis, habita ubivis locorum, & gentium inſpectione numiſmatum, & rerum, quas ſolers induſtria coacervaret; cuncta in plures libros retulit, & numiſmata præſertim, ac cum illis, at- C que ex illis, Cæſarum, Imperatorumque Roman. Hiſtoriam collapſam reſtituit, Vir dignus memoria ſæculorum.

Edidit autem imagines Imperat. In fol. ann. 1557. Julium Cæſarem cum vita, anno 1563. Faſtos Conſulares è nummis, 1566. Auguſti Cæſ. vitam ex nummis cum averſis, 1574. Siciliam, & magnam Græciam cum nummis, 1581.

Reliquam Græciam dabit propediem Jacobus de die, qui nuper incidit, & evulgavit pleraque. De quibus infrà.

Ante hos Jacobus Sadoletus Card. ſeu And. Fulvius, Illuſtrium imagines. Rom. 1517.

Cæſar Baronius Card. in Annalibus Eccleſiaſticis.

Joan. Huttichius, Imp. Rom. libellum, Argentor. 1525. 1534. & Conſulum Rom. Elenchum cum averſis aliquot ann. 1537. 1550. Lugdun 1551. 1554.

Vvolfgangus Lazius, in Rep. Rom. Viennæ 1551. & de rebus Græciæ lib. II.

Jacob. à Strada Mantuanus, Lugd. 1553. Theſauri Antiquitatum Epitome: & Tiguri 1558. Ejuſque F. Octavius, à Strada, de vitiis Imper. cum nummis averſis. Francofurt. 1615.

D Æneas Vicus Parmenſis Imper. XII. cum averſis Icones. Venetiis 1553.

Ejuſdem diſcurſus Italicè 1555. Item auguſtarum Imagines 1557.

Et Julii Cæſaris averſa, an. 1562. & reliquot. Imper. averſa, uſque ad L. Verum. Venetiis 1601.

Gabr. Simeonis Florent. Epitaphia, & Numiſmata Ital. Lud. 1558.

Sebaſt. Erici Veneti Diſcurſus Numiſmatum. Ital. Venet. 1559.

Abr. Ortelius Antuerp. Deorum, Dearumque capita, cum Notis Franc. Sueertii 1573. & 1602.

Item in Theatro orbis terrarum nummi.

Fulvius Urſinus Romanus Familias Rom. è Numiſmatis, Romæ 1577. Item Imagines, & Elogia Viror. Illuſtrium, & eruditorum. Romæ 1570. & Antuerpiæ, cum notis eruditis. Theod. Gallæus excudit ann. 1598.

Lævinus Torrentinus Epiſc. Antuerpi. in Suetonium Com. Nummos adhibet Rom. ann. 1591.

Abrah. Gorlæus Antuerp. Dactyliothecam, ſive annulorum ſigillarium Promptuarium æri inſculpſit. 1601. Lugd. E Batavor.

Andreas Schottus Antuerp. edidit Aurelium Victorem, cum iconibus Imper. Rom. ann. 1579.

Lævinus Hulſius Gandenſis Imper. Rom. Numiſmatum ſeriem cum averſa parte, Francof. 1603. Item XII. Imper. primorum, & LXXIV. parentum, virorumque effigies. Spiræ, 1599.

Gul. Choul. Lugduni edidit Gal. de Religione Rom. è nummis, & de re militari, & Caſtris in 4.

Ant. Piſo al. le Poix Diſcurſus Numiſmatum Gall. Pariſiis. 1579.

Joan. Sambucus Pannonius, in fine Emblematum, apud Plantinum.

Mar. Rot. XXIV. Imper. è nummis, & marmoribus effigies. Venetiis 1570.

Thomæ Treteri Canon Romæ effigies Imper. Rom. 1590.

Ant. Auguſtini Archiepiſc. Tarracon. Dialogi XI. Antiquitatum Rom. in nummis Hiſpanicè. Tarracone 1587. Italicè, Venetiis 1592. Æneis, & buxeis Romæ interprete Octa- F viano Sada, fol. 1592. Latinè interprete And. Schotto ann. 1607. fol. Antuerpiæ typis H. Ærtſii.

Marquardus Freherus Auguſtanus de Numiſmate Cenſus 1599. Et de aliis nummis, ac de re Monetaria veterum Rom. apud Vogelinum.

Adolphus Occo Imper. Nomiſmata à Pompejo ad Heraclium, abſque figuris, apud Plantinum, & auctius Auguſtæ 1601. abſque figuris.

Gaſp. Vvaſerus de nummis Hebræorum, Chaldæorum, & Syrorum. Tiguri, anno 1605.

Jac. Biaei Antuerp. Imper. Rom. Numiſmata aurea à Julio Cæſare uſque ad Heraclium, cum notis 1615. & 1617. aurea, argentea, & ærea, cum adverſis partibus, & Dialogis XII. Ant. Auguſtini ab And. Schotto Latinè redditis.

Conſtantinus Landus Comes explicationem quoque Numiſmatum, ſine figuris dedit. Lugduni 1560.

Stephan. Umandus Pighius Annalium Rom. ſeu Faſtorum tom. 3. complures explicat nummos: typis exiit Plantinianis.

Joann. Glandorpius Monaſter. Onomaſticon Romanum G edidit utiliſs. de Familiis Roman. antiquis, ſive figuris. Omitto, qui de re Nummaria, ac ponderibus eorum ſcripſere complures.

* NATIONUM SERIES, QUÆ hanc ornarunt Spartam.

I T A L I.

Æneas Vicus Parmenſis.
Andr. Fulvius.
Cæſar Baronius Card.
Conſtantinus Landus.
Fulvius Urſinus.
Gabr. Simeon. Florent.
Jac. Sadoletus Card.
Jac. Strada Mantuanus.
Sebaſt. Erizzus Venetus.
Martinus Rota.

HISPANI. H

Ant. Auguſtinus, Archiepiſc. Tarracon. Princeps Antiquariorum.

G A L L I.

Antonius le Poix.
Guillelmus Choul.

GERMANI.

Gaſp. Vvaſerus.
Heliſeus Roklein.
Joan. Huttierius.
Joan. Sambucus.
Marquardus Freherus.
Thomas Treterus Poſnanienſis.
Vvolfgangus Lazius.

B E L G Æ.

Abr. Gorlæus Antuerp.
Abr. Ortelius Antuerp.

Adolphus Occo Friſius.
A Andr. Schottus Antuerp.
Hubertus Goltius, Venlonianus C. Rom.
Jacob. Biæus Antuerp.
Lævinus Torrentius Gandenſis.
Lævinus Hulſius Gandenſis.

* Nummularii.

Definitio, & Etymologia.

NUmmularii, *teſte Budæo*, ſunt, qui nummis permutandis incumbunt, nos campſores dicimus inquit, qui pecuniæ permutationem exercent. Eratque olim vilius, quàm argentariorum officium, qui ampliorem negotiationem exercebant. ☞ *Vide Locum de Argentariis.*

Horum frequens erat copia apud Judæos, ſic ut etiam in templo illo Jeroſolymitano Nummularii invenirentur, quo paratior eſſet negotiatio animalium offerendorum, nam illi minutiore, & ad uſum accommodata pecunia majorem permutabant, aut aurum argento, aut peregrinam ejus loci mo- B netam, quales & hodiè inquit, *Cornelius Janſenius in ſua Concord. c.19.* dicuntur eſſe Romæ in gradibus S. Petri. Alioquin S. Joannes ſignificantius vocat κερματίστας, & κολλυβίστας, *c.2.* Nam κέρμα græcè æris minutia ſignificat, & nummorum congeriem, quibus fit permutatio. Κόλλυβος autem obolum ſignificat, qui datur pro permutatione, hoc eſt, ut vulgò dicitur, cambio. Hinc nomen Collybiſtarum apud Latinos.

Uſus autem hujus vocis obtinuit, ut etiam Fœneratores, & uſurarii, qui ad mutuandum propter lucrum menſam propoſitam habent, Nummularii appellentur, & à pleriſque Menſarii.

Christus autem illorum exercitium comparavit latrocinio, quando dixit eos eiiciens, quod facerent domum ſuam, quæ orationis erat, ſpeluncam latronum, quippè latrones toti incumbunt captandis temporalibus lucris. *Matth. c.21.*

Olim quoque Romæ hujuſmodi hominum colluvies menſas ſuas habebat eidem exercitio deſtinatas ponè Ædem Caſtoris, in qua pecuniæ depoſitæ recondebantur. Habebantque ſuas tabernas, menſaſque argentarias circùm forum etiam, C unde æs Circumforaneum Cicero appellat. *Epiſt. 1. lib. 3. ad Atticum 2.* ibique argentariam fecerunt, *teſte Livio lib. 26.* De Æde Caſtoris ſunt teſtimonia illa *Plauti in Curcul.*

Sub veteribus ibi ſunt, qui dant, qui accipiunt fœnore,
Ponè Ædem Caſtoris, ibi ſunt, quibus credas malè.

Idem autem ſub perſona Curculionis eorum mores improbos deſcribit.

Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poſcant, reddant nemini:
Pugnis rem ſolvant, ſi quis poſcat durius.

Et alio in loco, Lenones, & hujuſmodi nummularios, trapexatis comparans, ait:

Hi ſaltem in occultis locis proſtant: vos in foro ipſo.
Vos fœnore, hi malè ſuadendo, & luſtris lacerant homines.

☞ *Vide Argentarii. Fœnus. Uſura.*

Nuntius.

D

* Definitio, & Etymologia.

NUntius, qui nuntiat, & quod nuntiatur: Græcè ἄγγελος, ἀγγελία, Nuntium, εὐαγγέλιον. Heb. *Laac*, legavit, ablegavit, delegavit. Cognationem habet cum *Halac*, & *Jalac* ambulavit: nuntii enim ablegantur, ut ambulando perferant ad alios nuntium. Græci converſis literis dicunt, ἀγγέλλω, παραγγέλλω, ἐπαγγέλλω, nuntio, annuntio, ἄγγελος, legatus, nuntius. Verbaliter non uſurpatur hæc radix, ſed tantùm ab ea derivata: ut *Maleac*: legatus, nuntius, qui legatione fungitur: & tribuitur cùm Angelis bonis, & malis, tum hominibus. Legatio, ſeu functio, & officium legati dicitur *Maleachuth*, *Agg. 1. 13.* Quando verò de læto nuntio agitur, Hebr. *Beſſorah* appellant, *Biſſar*, Evangelizavit, nuntiavit nova, & bona, ſive læta omnia. Cognationem habet cum *Sibber*: expectavit: nam nuntius novus, & lætus ab omnibus expectatur.

NUNTII IN GENERE.

☞ *Vide Tit. Curſorum. Tabellariorum. Hìc ut agunt Nunciando, illic ut pro alio agunt Ferendo. Veredarii, qui Veredis ad nuncia publica utuntur.* E

Irus mendicus Ithacenſis, voraciſſimus, corpulentus. Cùm Arnæus nomen ei eſſet, Iri tamen cognomen obtinuit, ὅνεκ' ἀπαγγέλεσκε κιών, ὅτε, κελύοις ἀνώγοι, quoniam nuncii munere fungebatur, ſi quis vellet, ut Iris deorum nuncia fingitur. Eleganter igitur proci, cùm Ulyſſem viderent ſeſe ad pugnam parantem contra Irum, dicebant:

ἦ τάχα Ἶρος ἄϊρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει.

Irus profectò ſtatim non Irus redditus, inſtar Iridis evaneſcens, ſponte contractum malum habebit. *Hom. Odyſſ. σ.*

Ἡμεροδρόμοι, Curſores Regii apud Græcos, ephebis paulò majores, quibus prima lanugo ferè provenit, qui nihil ſecum ferunt præter arcus, ſagittas, jacula, & lapides ignem ejaculantes. Hæc enim eis ad iter ſunt utilia. *Suidas.*

Perſarum nunciis nihil pernicius tranſcurrere in rebus humanis, Herodotus opinatur. Meminit & *Xenophon. lib. Pædiæ 8.* Velocius ire credebantur nuncii hujuſmodi, quàm ſit gruum volatus. Cyrus videtur horum auctor primus.

Cleomedes in libro de Contemp. orb. cœleſtium, ſcribit, Perſarum Regem, cùm arma Græciæ intuliſſet, ita diſpoſuiſſe Homines à Suſis per ſtationes Athenas uſque, ut quæ à ſe in Græcia gererentur, ſignificari Perſis, voce per ſtationarios excepta, poſſent. Eam verò vocem, proditum hiſtoriæ eſt, hujuſmodi exceptione progreſſam, quadraginta octo horis à Græcia in Perſas perveniſſe. *Cæl. lib. 18. cap. 8. A.L.* F

Hæmonius, bello adversùs Athenienſes Perſico vulneratus, Athenas cucurrit: & in Senatu cùm dixiſſet, Salvi eſtote, ſalvi ſumus, collapſus expiravit. *Suidas.*

Pterophori, apud Plutarchum in Othone, curſores, tabellariivè ſunt, teſte Dione, quoniam peregrè proficiſcentes ſurrectas in capite pennas geſtare conſueverant. Cui ſententiæ adiicere calculum id Satyrici poetæ creditur:

Tanquam de Cattis aliquid, torviſque Sicambris
Dicturus, tanquam diverſis partibus orbis.
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola penna.

Cælius lib. 20. cap. 22. A. L.

Ælius Verus Imp. Curſoribus alas pennatas impoſuit, illoſque ventorum nominibus appellavit. *Alex. lib. 1. c.17.* G

Cejonius Commodus ab Adriano adoptatus, Curſoribus innexuit ſuis alas in ſpeciem Cupidinis, nominaque ventorum à ſua cuique celeritate indidit, hunc Circium vocans, illum Notum, alium Boream, jubebatque eoſdem indefesſè curſitare. *Sabell. lib.4. En.7.*

Philippides dictus eſt ἡμεροδρόμος, quod uno die mille quingenta ſtadia conficiens, Lacedæmonem pervenit. Idem ni fallor, cùm victoriam Athenienſium adversùs Medos in Marathone partam ſenatui, de pugnæ exitu ſollicito, nuntiaret, μέγα χαίρετε, inquit, νικῶμεν, id eſt, multum valete, vicimus, moxque expiravit. *Eraſm. lib. 8. Apoph. ex Plin. lib.7. cap.20. & Calon. cap.9.*

NUNCII IN SPECIE, QUI NUNCIANT FAUSTA, Felicia. Puta.

Hoſtium fugam.

Leproſi quatuor Iſraeliæ, ante portam Samariæ degentes, H cum illa obſideretur à Syris, famis cauſa ad Syros transfugere ſtatuerant, ut vel occiderentur, vel ſuſcepti alerentur. Noctu ad caſtra tranſgreſſi, Syros omnes panico terrore divinitus incuſſo fugiſſe compererunt: Itaque ad prædam converſi, multa abſtulerunt, & abſconderunt. Rem inde Joram Regi indicarunt, qui Syros in inſidiis latentes ſuſpicatus, poſteaquam reverà eos fugiſſe comperit, caſtra eorum invaſit, & diripuit. 4. *Regum 7.*

Mortem inimicorum.

Cùm Aſclepiades Hipparchi Athenas mortem Alexandri nunciaviſſet, negavit ei Demades credendum: jampridem enim cadaveris fœtorem totum orbem fuiſſe occupaturum. Cernens verò populum Phocion ad res novas propenſum, conabatur eum placare, & frænum imponere. Verùm cum multi in ſuggeſtum proſilirent, clamarentque vera Aſclepiadem attuliſſe, & fato functum Alexandrum: Igitur ſi hodiè, inquit, mortuus eſt, & cras erit, & perendie mortuus, Itaque poteritis per otium, & tutius deliberare. *Plut. in Phoc.*

Victo-

Victoriam.

A Cùm Abſalon cæſus eſſet, Achimas à Joab petiit, liceret ſibi nuncium Davidi ferre. Joab renuit, ne qui bonus ſemper nuncius fuiſſet, Abſaloni mortem nunciando: regem triſtitia afficeret. Miſit ergo Chuſi quendam. At Achimas Joab denuò rogavit: & venia conceſſa, compendio viarum uſus, Chuſim antevertit, regique victoriam nunciavit: mortem tamen Abſalonis diſſimulavit. Chuſi ſuperveniens, cum inconſideratè mortem Abſalonis nunciaſſet, regem in maximum conjecit luctum. 2. *Reg.* 18.

Apud Græcos, ſi quid fauſtè, & feliciter nuncii afferrent, coronati adventabant: ipſique cives in communis ſignum lætitiæ coronati incedebant: ovantes, gratanteſque. *Alexand. lib.1. cap.27.*

Pugnam Marathoniam denunciavit, ut Ponticus Heraclides tradit, Thraſippus Eroenſis. Plerique Ericlem memorant currentem in armis adhuc ex acie calidum, ac concidentem in janua primorum, hoc tantùm dixiſſe: Salvete, nos ſalvi ſumus, mox expiraſſe. *Plut. de gloria Athen.*

Cùm Græci duce Leutychide Lacedæmonio adversùs Ti- B granem Perſarum ducem ad Mycalem Joniæ ſub veſperam decertaturi eſſent, incerto Auctore exercitum rumor pervaſit, ejuſdem diei diluculo Mardonium ad Platæas cum trecentis Perſarum millibus ſuperatum, & caduceum ſuprà fluctus eminens apparuit. Eo rumore Græci confirmati, Perſas vicerunt. Cùm autem utrumque prælium circà Cereris delubrum commiſſum fuerit, Deæ indicio confirmatos fuiſſe, fama eſt. *Herod. lib.9.*

Demetrius Poliorcetes inſigni victoria navali contra Ptolemæum potitus, victoriæ nuncium patri Antigono Mileſium Ariſtodemum miſit, inter omnes aulicos primum adulatorem: qui tunc elaboravit, uti declaravit, maxima adulatione cumulare hanc victoriam: ut enim ex Cypro tranſmiſit, vetuit navigium terræ appelli, ſed anchoras jaci, omnibuſque conquieſcere præcepit navi. Ipſe ſcaphum concedens ſolus eſt egreſſus, atque ad ſuſpenſum pugnæ expectatione perrexit Antigonum, itaque affectum, ut verſimile eſt tantis de rebus ſollicitos. Tunc verò ubi illum accepit adeſſe, multò quam prius magis trepidavit, vixque ad percontandum de pugnæ exitu Ariſtodemum miſit. Qui ut nihil cuiquam reſpondit, ſed lento gradu, vultuque contracto acceſſit admo- C dum tacitus: mirè attonitus Antigonus, neque ultrà ſui compos occurrit ei ad januam, multa jam Ariſtodemum proſequente turba, atque in regiam occurrente. Ut ergo propè venit, protenſa dextra exclamavit alta voce: Salve Rex Antigone, vicimus prælio navali regem Ptolemæum, Cyprum tenemus, militum ſexdecim millia octingentos captivos habemus. Tum Antigonus: Et tu quoque hercle, inquit, ſalve. Quia verò ita nos torſiſti, lues pœnam. Nam tardius præmium læti nuncii accipies. Hinc occaſione capta vulgus Antigonum, & Demetrium reges conſalutavit primum poſt Alexandri mortem. *Plut. in Dem.*

Fuit receptus mos Rom. ut quoties inſigni victoria Conſules potiti eſſent, ob res proſperè geſtas, laureatis faſcibus prælatis incederent: literaſque laureatas Romam mitti, aut nuncios cum jaculis laureatis advenire, navemque laureatam; aut vittatam felicis victoriæ nuncium eſſe, ac læta, & magna ſignificare tunc, cùm depulſis, & diſſipatis copiis hoſtes victi eſſent, & profligati, animadverſum eſt. Victo enim Mithridate, & fugato duplici prælio, lauro ornatam navem, & bellico apparatu inſtructam, ut in victoria mos erat, Lucullus Romam D miſiſſe dicitur. *Alex. lib.1. cap.27.*

Mago Hamilcaris filius Cannenſis victoriæ nuncius Carthaginem miſſus eſt. Hic frequenti ſenatu res à fratre Hannibale in Italia geſtas ita expoſuit; ut diceret biennio, quo in Italia ventum erat, ducenta millia hoſtium pluribus præliis, ductu, & auſpiciis Hannibalis cæſa, quinquaginta capta; duos conſules occiſos, duos exercitu exutos; unum ſaucium, magiſtrum equitum acie victum: Dictatorem, quia in pugnam nunquam deſcendiſſet, unicum Imperatorem haberi: Capuam poſt Romanas opes acciſas Italiæ caput, Apulos, Brutios, Lucanorumque, & Samnitium non parvam partem ad Pœnos defeciſſe. Cui tam læto nuncio, ut major fides haberetur, tantam vim aureorum annulorum in veſtibulo curiæ effudit, ut metientibus tres modios, & dimidium expleverit, ut quidam prodiderunt. Fama tamen tenuit, unum, quod propius verò eſt, fuiſſe modium. Adjecit inde in majoris victoriæ argumentum, equitum id inſigne, atque primorum ejus ordinis, apud Rom. eſſe. Miror equidem, Livium aureos fuiſſe annulos, prodidiſſe, cùm Plinius auctor ſit, ante C. Marii tempora nullum aurei annuli uſum privatis civibus E fuiſſe. *Sabell. lib.3. En. 5.*

Dignitatem.

Galba à militibus Imp. ſalutatus, in Hiſpaniam ſeceſſerat, præcipite in noctem die Siculus quidam libertus ejus Roma ſeptimo die venit. Hic cùm Galbam intellexiſſet ſolùm quieſcere, citato curſu ad cubiculum ejus profectus, invitis cubiculariis aperuit oſtium, ingreſſuſque annunciavit, Nerone adhuc vivo, ſed nuſquam apparente, exercitum primum, deinde populum, & ſenatum Galbam appellaſſe Imperatorem, mox mortem ejus allatam: non habuiſſe tamen ait ſe nuncius fidem ſed perrexiſſe ipſum ad cadaver, atque cum exanimem ſpectaſſet, tum profectum. Hoc Galba nuncio eſt mirè excitatus, concurritque ad januam ejus hominum frequentia, qui magnoperè ſunt ab eo confirmati, quamvis eſſet nuncii celeritas incredibilis. Verùm biduo poſt T. Junius cum multis aliis advenit, ex caſtris ſenatuſconſultum ordine perferens. Atque hic ad ſplendidum ordinem provectus eſt, Liberto jus annulorum aureorum dedit, ac Marcianus Vicellus jam dictus primum locum inter libertos ejus tenuit. *Plut. in Galba.* F

Carolo V. Cæſare deſignato, Electores datis ad Carolum litteris, & miſſa legatione, rem omnem denunciarunt: legationis erat princeps Fridericus Palatinus. Verùm intereà nonnulli privatim in Hiſpaniam contenderunt ejus rei nuncii, quos inter Unus Francofurto dicitur nono die Barchinonem veniſſe. *Sleidan. lib.1.*

Dilationem.

Cicero tanti faciebat benè dicere, atque adeò laborabat in eo anxiè, ut cauſam apud Centumviros dicturus, inſtante die, ſervum Erotem, qui judicium in poſterum diem rejectum nunciarat, manumiſerit. *Plut. in Apoph.*

Adventum.

Romani, ſive rure, ſive peregrè redierint, præmiſſo nuncio adeſſe ſe uxoribus ſignificant: properantque velut exoptantibus, & expectantibus lætum nuncium de ſe præmittere. An potiùs de illis audire ipſi cupiunt, ſalvaſne, & cupientes domi inveniant? An pluribus curis domeſticis mulieres, negotiiſque, cùm abſunt, viri ſunt diſtrictæ, plureſque rixas, & motus adversùs domeſticos habent? Quo igitur his diſcuſſis pacatè virum, & hilariter excipiant, hæc datur ſignificatio. *Plutarch. in quæſt. Rom.* G

INFAUSTA.

Spartana mulier, cùm quinque liberos haberet in eo prælio, quo haud longè ab urbe decertabatur, venientem inde quendam rogavit, Quo in ſtatu rerum ſumma verſaretur! Reſpondente autem illo, Filios ejus omnes interiiſſe: mulier ad eum, Malo tuo fato, hoc à te non petii, ſed ut patria res ſe habeat, rogavi. Cùm is poſteà ſubjunxiſſet, Pulchrè omnia ſe habere: Lugeant ergo miſeræ, inquit: ego victrice patria beatam me judicio, *Plut. in Lacon.*

FALSA.

☞ *Ex loco Scurrilitatis quædam.*

Stratocles Thebanis ſuaſit, ut quaſi ob lætum rerum benè geſtarum nuncium diis honorem haberent: At cùm cladè verè allata ſtomacharentur, rogavit populum, Quid eum læſiſſet, qui ſua opera lætus fuiſſet triduum; *Plutarchus in præceptis.* H

Politicis.

Alexander Magnus, ut Aſiaticum bellum à patre Philippo inchoatum facilius exequeretur, in Triballos movit, ne poſt ſe ullam gentem Macedonibus infeſtam relinqueret: Demoſthenes: qui Philippi patris rebus ſemper infeſtus fuerat, à Perſis correptus in concionem quemdam produxit, qui affirmaret, Alexandrum in Treballis periiſſe, Macedonumque copias ibi occidione occiſas, ſeque prælio interfuiſſe, cujus rei vulnera in corpore monſtrare poſſet. Atque hoc mendacio Athenienſes ad defectionem permovit. *Sabell. lib.4. Enn.5.*

* NUNTII VOLANTES in bello.

Puta Columbæ, aut ſimiles.

☞ *Conſule Locum de Epiſtolis.*

Refert *P. Æmil. de geſtis Francorum lib. 3.* Cùm Tyrus ab exercitu Chriſtianorum obſideretur, Columbam advolaſſe. Eam cùm noſtri uſu docti tabellariam eſſe cognoſcerent, clamorem tantùm à terreſtribus, navalibuſque copoiis ſublatum, ut ales tanquam turbine moti cœli acta, in terram delaberetur.

beretur. Demptam Epiſtolam barbarorum litteris ad Tyrios
A exaratam, brevi auxilia occurſura, bono animo eſſent, paucos dies obſidionem tolerarent. Noſtros contrà alteram Epiſtolam curaſſe ſcribendam manu, linguaque eorum barbarorum, quos in fide habebant, quibuſdam etiam Latinorum longinquitate temporis, commercioque mutui per intervalla bellorum uſus, Barbarorum ſermonis non ignaris, volucremque cum ſubdititiis, fallacibuſque litteris remiſſam; ſibi ex uſu præſenti obſeſſis conſulerent, virtutem eorum, fidemque ſatis perſpectam, fortunam deeſſe, ſpem propinquam auxilii nullam oſtendi poſſe, interclusis ab hoſtibus itineribus, dolo ceſſere Tyrii, &c.

Similium columbarum aſſuefactarum ad afferendum in aere litteras ſub alis corpori alligatas, frequens uſus fuit in bello illo diuturno Hiſpanorum cum Belgis, cujus nondum finis apparet. Iiſque imprimis uſi ſunt Harlemenſes, cum diù fortiter hoſtium obſidionem perferrent.

Non raro autem hæ volantes tabellariæ clamore militum, & boatu tormentorum, ex alto collapſæ, & interceptæ ſunt.

Brutus in obſidione Mutinenſi olim his nuntiis aligeris uſus
B traditur, teſtatur Poeta:

Quid vigil obſidio, quid arces
Aut valla proſunt? per ſpatia invii
Eunte cæli nuntio?

*Plinius lib.*10. *cap.*37. Simile narratur de God. Bullonio, dum obſideret Hieroſolymam ante annos 600.

Chriſtiani Ptolemaidem obſidentes, per Columbam tabellariam eam momorabili ſtratagemate obtinuerunt. Simili illi cujus ſuprà meminimus Narrat id *Egnatius*, & ex illo *Aldrovandus prolog. in Ornithol.*

Quin, *Lipſius lib.*2. *Saturnal. c.*6. narrat, Patres familias, qui olim ad Circum, ſeu theatrum ibant, unde non ita pro libitu dabatur reditus, columbas ſecum deferre conſueviſſe, quas è ſinu eductas dimittebant cum literis domum, indicantes ſi quid vellent. Et citat *Varronem lib.* 1. *de re ruſtica.* E

In Oriente admodum vulgare Columbis tabellariis etiam per centum milliaria uti. Hoc enim fine eas ſecum ferunt. Et è loco editiore ſinunt avolare. Fit namque, ut ad proprium redeant columbarium. Legatur *Steph. Mantegazza Dominic. In ſuo Itinerario Hieroſol. lib.*2. *c.*22.

* Nundinæ.

Definitio, & Etymologia.

Nundinæ à nono die dictæ ſunt, tanquam novendinæ πανήγυρις. Inſtitutæ eo conſilio perhibentur, ut agreſtes octo diebus in agris eſſent, & nono die urbem repeterent ad mercatum, & legum accipiendarum, aut cognoſcendarum cauſa. Unde mos fuit olim, ut leges trinundino die (τρίτῃ ἐκκλησίᾳ *apud Athenæum*) promulgarentur.

Modò dies ordinarios, quibus per hebdomadam mercatus exercetur, non ſolemus vocare nundinas, ſed celebriores quaſdam ferias, quæ ſemel, aut ſecundò per annum recurrunt, in locis, ſive civitates fuerint, ſive municipia; plus cęteris famoſis, & celebribus, ad quas omnibus exteris immunitas accedendi, & negotiandi datur, eo nomine cenſemus. Tales autem plurimæ ſunt per Europam. Nos hoc loco præcipuas, & magis frequentatas dabimus, recenſendo nominatim oppida, & vicos, in quibus eæ inſtituuntur, idque ordine Alphabetico: addito etiam menſe, & die, quibus eæ recurrunt, prout & in Diariis annotantur. Contingit namque iiſdem locis frequentius ſolennes etiam Nundinas inſtitui. F

Notandum, dies nundinarum obſervari ſecundùm Calendarium vetus, vel novum, uti in iiſdem locis recipitur.

Alburgum.
Die Pentecoſtes.

C *Altenburgum.*
1. Vocem jucunditatis.
2. Dom. poſt Nativit. Mariæ.

Amſterodamum.
Lætare.

Amberga.
1. Pentecoſtes.
2. Matthæi.

Antuerpiæ.
1. Purificat. Mariæ.
2. Pentecoſt.
3. Ægidii.
4. Natalis Chriſti.

Auſpachium.
1. Dom. 1. Epiphan.
2. Gregorii.
3. Feria ſecunda Pentecoſt.
4. Maria Magdal.
5. Laurentii.
6. Pridie Michaelis.
D 7. Poſtri. omnium Animar.
8. Nicolai.

Annabarga.
1. Ulrici.
2. Michaelis.

Anclamum.
Dom. poſt Nativit. Mariæ.

Andernacum.
1. Dom. 2. poſt Paſcha.
2. 29. Junii 3. Michaelis.

Aquiſgranum.
1. 28. Jan. Caroli Magni.
2. Ven. Sacram. Theophor.
3. 7. Decemb.

Arnaſtanium.
1. Jubilate.
2. Dom. poſt Nativit. Mariæ.
3. Domin. poſt Severi.

Argentoratum.
1. 16. Decemb. S. Steph.
2. Jo: Baptiſtæ, Nat. 24. Junii.

Argelæ, aliàs Torga.
1. Reminiſcere.
2. Dom. 1. poſt Trinit.
3. Matthæi.

Archuſium Jutiæ.
Die S. Olai Regis.

Ariminenſes in Italia.
Nudinæ incipiunt die 20. Junii, durantque dies 35. in 25. diem Junii.

Aſſena Fioniæ.
Die S. Bartholomæi.

Auguſta Vindelicorum.
1. Die Udalrici.
2. S. Michaelis.
3. 9. Julii.
4. 1. Septemb.

Baauſtudium Scaniæ:
1. Annuntiat. Mariæ.
2. Jo: Bapt.
3. Nativ. Mariæ.

Badena Helvetiorum.
1. S. Gregorii.
2. S. Othmarii.

Banerga.
1. Die Jo: ante Portam 6. Maii.
2. Dionyſii 9. Octob.

Barinæ in Italia.
Nundinæ incipiunt. Decemb. durantque dies 10.

Barda Pomeraniæ.
Proxima Dominica poſt diem S. Michaelis.

Baſilea.
Die Simeonis, & Judæ ad diem uſque Martini.
1. Septemb.

Berna Helvetiorum.
1. Martini. 2. Luciæ.

Berga ad Zonum.
1. Epiphan.
2. Quaſimodo.

Berga Norvvegiæ.
Die Jacobi.

Berchemium.
1. Dominica Cantate.
2. 24. Auguſti.
3. 3. Novemb.

Berlinum.
1. Philippi, & Jacobi.
2. Octiduo poſt Corp. Chriſti. G
3. Laurentii.
4. Exaltat. Crucis.

Benzoburgum.
1. Reminiſcere.
2. Simonis, & Judæ.

Bitterfeldia.
1. Domin. præcedente prox. Feſtum Aſcenſionis Domini.
2. Dom. prox. ante Feſtum Matthæi.

Bogenſia Fioniæ.
Die Mariæ Magdalenæ.

Bona ad Rhenum.
1. 22. Januar.
2. 2. Maii.
3. 24. Junii.
4. 10. Octob. S. Gereon.
5. 21. Novemb.

Bononia.
Die 15. Auguſti, durantque dies 8.

Borgum. Fimbriæ. H
Octiduo ante Feſtum Michaelis.

Boxtenbuda.
Die Laurentii.

Branſtadium, ſive Branſtetumum.
22. Julii.

Brandenburga vetus.
1. Pentecoſt.
2. Nativit. Mariæ.
3. Michaelis.
4. Dom. prox. poſt Eliſabethæ.

Brandeburga nova.
1. Oculi. 2. Baptiſt.

Brema.
1. Quaſimodo geniti.
2. Aſſumpt. Mariæ. 3. Dionyſii.

Briga.

Briga.
A 1. Feſto Trinit.
2. Nativit.
3. Nicolai.

Brugæ Flandriæ.
Dominica proxima poſt Philippi, & Jacobi.

Brunſuicum.
1. Cantate.
2. Jacobi.
3. 9. Julii.

Budiſſinum.
1. Judica.
2. Cathedra Petri.
3. Lucæ Evangeliſtæ.

Buſcoducum.
1. Dominica 12. poſt Trinit.
2. 9. Maii.

Buſtadium.
1. Vigilia Jo: Baptiſtæ.
B 2. Vigilia Michaelis.
3. Vigilia Omnium Sanctorum.

Calum Luſatiæ.
1. Miſericordiæ Domini.
2. Dom. Rogationum.
3. Dom. proxima Nativit. Mariæ.

Callingburgum Seelandiæ.
1. Jubilate.
2. Jo: Baptiſtæ.
3. Jacobi.
4. Michaelis.

Caminum.
1. Reminiſcere.
2. Dominica proxima poſt Exaltationem Crucis.

Camitium.
1. Dominica proxima ante Feſtum inventionem Crucis.
2. Dominica proxima poſt Exaltationem Crucis.

Campadunum.
C 1. Reminiſcere.
2. Jacobi.

Caſſellæ.
1. Feſto Epiphan.
2. Judica.
3. Jacobi.
4. Dominica proxima poſt Michaelis.
5. Dominica proxima poſt Martini.

Chilotium Holſatiæ.
1. Trium Regum.
2. Invocavit.

Coagium Seelandiæ aliàs Colza.
1. Vincul. Petri.
2. Exaltationem Crucis.

Coburgum.
1. Circumciſio Domini.
D 2. Quaſi modo geniti.
3. Petri, & Pauli.
4. Die decollat. Jo: Baptiſtæ, quæ ſunt nundinæ pecuniariæ.
5. Dominica poſt Nativit. Mariæ.

Golberga.
Dominica Invocavit.

Coloniæ Ubiorum.
1. Epiphaniæ.
2. Die 2. Veneris poſt Paſcha Theophoriæ.
3. Philippi, & Jacobi.
4. Gereon. 10. Octob.
5. Urſulæ 21. Octob.

Coldinga Jutiæ.
1. Die Olai Regis.
2. Franciſci.

Confluentia.
1. Jovis poſt Lætare.
2. 13. Maii.
3. 16. Decemb.

Corbeum.
Die Viti celebrare incipit nundinas liberas, quæ durant octiduum.

Corthuſium.
1. Quaſi modo geniti.
2. Dominica proxima poſt diem Ægidii.

Cracovia.
1. Die Stanislaï.
2. Viti.
3. Michaelis.

Cranachium.
1. Dom. poſt converſ. Pauli.
2. Miſericord. Domini.
3. Viti.
4. Dom. poſt Aſſumpt. Mariæ.
5. Dom. poſt Michaelis.
6. Martini.
7. Nicolai.

Crempa Holſatiæ.
1. Dominica proxima ante diem Margarethæ.
2. Octiduo poſt diem Galli.

Cremſa Auſtriæ.
1. Jacobi.
2. Simonis, & Judæ.

Croſna.
1. Dom. proxima poſt Vincentii.
2. Dom. 1. poſt Trinit.
3. Michaelis.

Crucisburgum.
1. Dom. 5. poſt Paſcha.
2. Dom. poſt Galli.

Cuſtrinum.
1. Sexageſima.
2. Jubilate.
3. Die Lunæ prox. poſt Nativit. Mariæ.

Curia Votilandiæ.
1. Converſionis Pauli.
2. Laurentii.

Curia Helvetiæ.
1. Jacobi.
2. Dom. prox. ante diem Hedduvigis.

Daminum.
Invocavit.

Danneberga.
Domin. ante Nativit. Mariæ.

Dantiſcum.
1. 4. Auguſti.
2. Die Martini.

Daventria.
1. Dom. ante Lætare.
2. 25. Junii.
3. 12. Novemb.

Deſſanium.
1. Reminiſcere.
2. Exaudi.
3. Dom. poſt Martini.

Dreſda.
1. Eſto mihi.
2. Jo: Baptiſtæ.
3. Die Galli.

Drepcovium.
1. Quaſi modo geniti.
2. Dom. prox. poſt exaltat. Crucis, aut Nicomedis.

Domitium.
Quatuordecim diebus ante Pentecoſten.

Dormunda.
Epiphaniæ. E

Duderſtadium.
1. Dom. poſt Servatii.
2. Dom. poſt Jo: Baptiſtæ.

Dinckelſpichel.
1. Gregorii.
2. Urſulæ.

Durlacum.
1. Jacobi.
2. Galli.

Duſſeldorpium.
1. Domin. 3. Oculi.
2. Aſcenſionis Domini.
3. 17. Septemb.
4. 23. Octob.

Egra.
1. Corporis Chriſti.
2. Dom. prox. poſt Matthæi.

Eiſtebia.
1. Dom. poſt Viti proxima. F
2. Dom. poſt Galli.
3. Poſtridie Matthæi.

Elcklenforda.
1. Feſto Michaelis.

Elmesborna.
1. Die 4. poſt Quadrageſimam, ſuntque hæ nundinæ equinæ.
2. Dom. 1. poſt Trinit. qua celebrantur primo Encænia.
3. Die 21. Septemb. Equinæ ſimul, ac boariæ.

Embeca.
1. Lætare.
2. Die Felicis.
3. Dom. prox. poſt Michaelis.

Embda.
1. Converſ. Pauli.
2. Michaelis.

Engelholma Daniæ.
Bartholomæi. G

Erfordiæ.
1. Trinitatis.
2. 29. Septemb.
3. Martini.
4. Dom. poſt Paſcha.

Eslinga.
Die Catharinæ.

Embrica.
1. 25. Januar.
2. Simonis, & Judæ.
3. Martini.

Faventia.
Celebrat nundinas à principio Septemb. in finem uſque.

Ferraria.
1. 5. Auguſti per triduum.

Feldkirchium.
1. Jo: Baptiſtæ. H
2. Ægydii.
3. Michaelis.

Flensburgum Holſatiæ.
Nullas celebrat nundinas propter magnam mercatorum frequentiam, qui terra, marique ſemper cum exteris negotiantur.

Foburgum Fioniæ.
Die S. Botildis paulò poſt diem Viti.

Franckenſteinium.
1. Die Jovis poſt Converſionis Pauli.
2. Die 4. proxima poſt Pentecoſten.
3. Dominica proxima ante Nativitatem Mariæ.

Francobuſum.
1. Exaudi.

2. Dom.

2. Dom. poſt Laurentii.
A 3. Domin. proxima poſt Severi.

Francofurtum ad Mœnum.

1. Septimana poſt Ann. B. Virg.
2. Septimana poſt Nativ. B. V.

Francofurtum ad Oderam.

1. Reminiſcere.
2. Dominica proxima poſt Margarethæ.
3. Die Martini.

Favenſtadium.

1. Aſcenſ. Chriſti.
2. Dom. prox. ante Michaelis.

Freiburgum Miſniæ.

1. Margareth.
2. Martini.

Freiſtadium Auſtriæ.

1. Converſionis Pauli.
2. Die Martis poſt Invocavit.
3. Feſto Trinit.

Frideburgum Helvetiæ.

B Trium Regum.

Friburgum.

1. Lætare.
2. Dom. prox. poſt Petri Cathed.
3. Altera Domin. poſt Michaelis.

Fulda.

1. Bonifacii.
2. Catharinæ.

Gandavum Flandriæ.

Oculi.

Gardelebia,

1. Invocavit.
2. Oculi.
3. Palmarum.
4. Die Lunæ poſt Michaelis.

Geneva Sabaudiæ.

Catharinæ.

Gloga major.

1. Stanislai.
2. Aſſumpt. Mariæ.
3. Luciæ.

C *Goldberga.*

1. Die Lunæ poſt Trinitat.
2. Dominica proxima ante Margarethæ.
3. Dominica proxima poſt diem Urſulæ.

Gorlizium.

1. Dominica proxima poſt Corporis Chriſti.
2. Dominica proxima poſt Aſſumpt. Mariæ.

Goslaria.

1. Jubilate.
2. Die Innocentum.

Gotha.

1. Cantate.
2. Dom. prox. poſt Margarethæ.
3. Dom. poſt Severi.

Gottinga.

Die Simonis, & Judæ.

D *Græcia Styriæ.*

1. Lætare.
2. Die Veronæ, ſive Cal. Septemb.

Grefenboninga.

1. Dominica 1. Trinit.
2. Michaelis.

Greinfenberga.

1. Aſcenſ. Chriſti.
2. Prox. Dom. ante Aſſumpt. Mariæ.

Groninga.

Quaſi modo geniti.

Grunberga.

1. Altera die Lunæ poſt Epiphan.
2. Feria ſecunda Pentecoſtes.
3. Die Lunæ prox. poſt Michaelis.

Griſphiſuvalda Pomeraniæ.

1. Die Jacobi.
2. Omnium Sanctorum.

Guſtrovium.

1. Feſto Trium Regum.
2. Philippi, & Jacobi.
3. Die Margarethæ.
4. Dom. ante Nativit. Mariæ.
5. Aſſumpt. Mariæ.

Haderslebia Holſatiæ.

Die Michaelis.

Hafnia Metropolis Regni Daniæ.

Statas quidem nullas celebrat nundinas, ſed quoties peregrini Inſtitores, aut Mercatores adveniunt, merces exponere, ac divendere iis licitum eſt.

Hagenoa Alſatiæ.

24. Septemb.

Hala Saxonum.

1. Poſt finem ſtatim Nundinarum Lipſenſium circa Circumciſionis diem.
2. Quatuordecim diebus ante Michaelis.
3. Die Martini.

Halæ Suevorum.

Natali Chriſti.

Natali in valle Oeni.

1. Die Gregorii.
2. Omnium Sanctorum.

Halberſtadium.

1. Galli.
2. Die Viridium.

Hamburgum.

1. Viti.
2. Jacobi.
3. Feliciani.

Hannovera.

1. Philippi, & Jacobi.
2. Dominica poſt Jacobi.
3. Die Lunæ prox. poſt Ægidii.
4. Die Lunæ poſt Simonis, & Judæ.

Harburgum.

Ad diem 24. Aprilis.

Heida Dithmarſiæ.

Domin. Judica.

Helmſtadium.

1. Exaudi.
2. Galli.

Helſingorum Seelandiæ.

Michaelis.

Helſinbulgum Scaniæ.

Lætare.

Herbipolis.

1. Lætare.
2. Chiliani.
3. Michaelis.
4. Omnium Sanctorum.

Herzberga.

1. Palmarum.
2. Feſto Trinitatis.
3. Dominica proxima ante Feſtum Michaelis.

Hildesbemium.

1. Miſericordia Domini.
2. Die Lunæ poſt Galli.
3. Die Lunæ poſt Judica.
4. Die Lunæ poſt Jo: Bapt.

Hilperbuſa.

1. Invocavit.
2. Vocem Jucunditat.
3. Laurentii.
4. Michaelis.
5. Catharinæ.

Hirſperga.

1. Feſto Trinit.

2. Dominica proxima poſt Bartholomæi.
3. Dominica proxima ante Feſtum Martini. E

Hojorſvverda.

1. Cantate.
2. Dominica altera poſt Bartholomæi.

Huſenum Holſatiæ.

1. Dominica Trinitatis.
2. Die Matthæi.

Jena.

1. Cantate.
2. Dominica proxima poſt Simonis, & Judæ.

Ilma.

1. Dominica proxima ante diem Margarethæ.
2. Dominica proxima poſt diem Galli.

Ingolſtadium.

1. Invent. Crucis.
2. Matthæi. F

Ipbuoja Franconiæ.

1. Oculi.
2. Viti.
3. Exalt. Crucis.
4. Martini.

Iſenacum.

1. Reminiſcere.
2. Miſericordia Domini.
3. Dominica proxima ante diem Michaelis.
4. Dominica poſt Martini.

Gundenburgum.

Die Urſulæ.

Juliacum.

1. 26. Junii: S. Gilhelmi.
2. 8. Novemb.

Juterbocum.

1. Die 4. poſt Eſto mihi.
2. Die 2. poſt Laurentii.
3. Octiduum ante Feſtum Martini.

Itzeboa. G

1. Lætare.
2. Galli. Quæ poſteriores nundinæ comitia civium appellantur.

Kertmunda Fioniæ.

Die S. Laurentii.

Kirchenhainum.

1. Jo: Baptiſtæ.
2. Burchardi.

Landsbuta.

Bartholomæi.

Landeſcrona Scaniæ.

1. Trium Regum.
2. S. Botildis.
3. Viti.

Lauba.

1. Dom. 2. poſt Trinit.
2. Dominica proxima poſt diem Bartholomæi.

Lemberga.

1. Dominica proxima poſt Feſtum Invent. Crucis. H
2. Domin. 1. poſt Trinit.
3. Dominica proxima poſt Feſtum Franciſci.

Lengovia.

1. Nicolai.
2. Lætare.

Leoburgum.

1. Invocavit. 2. Jacobi.

Leon, ſive Lugdunum Galliç.

1. Septimo Januar.
2. Quaſimodo geniti.
3. Quarto Auguſti, aliàs 14. Auguſti.
4. Omnium Sanctorum.

Leodium.

Leodiam vulgò Luttich.

A 1. 29. Aprilis.
2. 17. Septemb. Sancti Lamberti.

Libenthalium.

1. Viſitat. Mariæ.
2. Domin. proxim. poſt Aſſumpt. Mariæ.

Lignitium.

1. Sexageſimæ.
2. Laurentii.
3. Omnium Sanctorum.

Linzium.

1. Quaſi mod.
2. Bartholomæi.

Lindavia.

Simonis, & Judæ.

Lipſia.

1. 1. Januarii.
2. Quaſimodo.
3. S. Michaelis.

Londinum Angliæ.

B Exteris Mercatoribus quandocunque advenientibus divendendi poteſtatem concedit.

Lubeca.

Nullas quidem celebrat nundinas: Exteris tamen inſtitoribus per annum triduo merces ſuas exponere, ac divendere licet, quacunque illud fiat anni, menſis aut ſeptimanæ parte.

Lucerna Helvetiæ.

1. Eſto mihi.
2. 11. Octob.

Luneburga.

1. Jubilate.
2. Michaelis.
3. Dionyſii.

Lundis Scaniæ.

1. Aſcenſ. Domini.
2. Laurentii.

Lundis Dithmarſiæ.

1. Palmarum. 2. Michaelis.

Lutkemburgium.

Dionyſii.

C *Meldorpium.*

Judica.

Mardeburgum.

Dominica Septuageſimæ.
2. Domin. 1. poſt Trin.

Marpurgum Haſſiæ.

Eliſabethæ. 19. Novemb.

Mariebum Lalandiæ.

1. Feſto Trinitat.
2. Vinc. Petri.
3. Marci.

Mantuanæ.

Nundinæ à 15. Auguſti triduum durant.

Marcodurum.

1. 24. Febr. S. Matthæi.
2. 25. Junii.
3. 26. Julii S. Annæ.
4. 2. Octob.

Maſſovia.

D Die Dominica ante Feſtum Michaelis.

Memminga.

S. Matthæi.

Merſeburgum.

1. Oculi.
2. Jo. Baptiſtæ.
3. Laurentii.
4. Domin. proxim. poſt Simonis, & Judæ.

Molla.

Dominica poſt Martini.

Monaſterium Vveſtphallæ.

1. Invocavit.
2. Lætare.
3. Martini.

Mons Regius Pruſſiæ.

1. Dom. poſt Philip. & Jacobi.
2. Dom. poſt Ægidii.
3. Dom. poſt Martini.

Mulberga.

1. Fpiphaniorum Feſto.
2. Margarethæ.
3. Dom. poſt Nativit. Mariæ.

Mulhuſium.

1. Exaudi.
2. Dom. poſt Margarethæ.
3. Dom. poſt Burcardi.

Munda.

1. Martini.
2. Lætare.
3. Laurentii.

Munſterberga.

1. Die Martis prox. poſt Epiphan.
2. Poſtridie Feſti Aſcenſionis Domini.
3. Proxima die poſt Exaltationis Crucis.

Noceranæ Nundinæ.

Primæ incipiunt Dom. Quadrageſ. durantque dies 15.
Alteræ incipiunt die Omnium Sanctorum, durantque itidem dies. 15.

Neoburgum Daniæ.

Viſit. Mariæ.

Neoburgum Tyrigerarum Namburch.

1. Die Viridium.
2. Petri, & Pauli.

Neomonaſterium Holſatiæ.

Octiduo ante Feſtum Decollationis Jo. Baptiſtæ.

Neoſtadium ad Orlam.

1. Feſto Trinit.
2. Dominicæ proxim. poſt Vincula Petri.
3. Dom. poſt Nativit. Mariæ.
4. Dom. 1. Adventus.

Neſtuedium Seelandiæ.

1. Jacobi.
2. Michaelis.

Nikopinga.

Laurentii.

Noriberga.

1. Epiphan.
2. Die Veneris proxima poſt Paſcha.
3. Die Philippi, & Jacobi.

Notorpia.

Die Mercurii poſt Pentecoſt.

Northuſium.

1. Inventio Crucis.
2. Michaelis.

Nortlinga.

1. Quatuordecim diebus poſt Circumciſionem.
2. Totidem diebus poſt Pentecoſtem.

Noveſium, vulgò Neuſs.

1. 30. April. S. Quirini.
2. Poſtrid. Philippi, & Jacobi.
3. Bartholomæi.
4. Remigii.
5. Martini.

Noviomagum.

10. Septemb.
29. Aprilis.

Oldenslao.

Octiduo poſt Feſtum Jo. Baptiſtæ.

Oldemburgum.

1. Palmarum.
2. Michaelis.

Olmucium.

1. Sexageſima. E
2. Venceslai.
3. Canuti Regis.
4. Michaelis.

Oſteroda.

Dominica poſt Simonis, & Judæ.

Oſnaburgum.

1. Feliciani.
2. Gregorii.
3. Lætare.

Othonia Fioniæ.

1. 14. Januarii.
2. Mauritii.

Padeborna.

1. S. Petri.
2. Annunt. B. Virg.
3. Mar. Magd.
4. Galli. F
5. Leonardi.

Pariſiis.

1. Epiphaniæ.
2. 11. Junii ad S. Dionyſ.
3. 15. Auguſti. Aſſumpt. B. Virg.
4. 9. Octob.

Perleberga.

1. Domin. proxim. poſt Feſtum Petri, & Pauli.
2. Domin. ante Feſtum Omnium Sanctorum.

Pirna.

1. Domin. Sexageſimæ.
2. Dom. ante Feſtum Galli.

Piſanæ Nundinæ.

Primæ incipunt Octava Paſchatis. continuatæ diebus 15.
Secundæ à 15. Septemb. in finem uſque durant.

Piſaurinæ.

à 15. Novembr. durant ad Chriſti natalem. G

Plona.

14. Diebus poſt Feſtum Michaelis.

Praga Boemia.

1. Venceslai.
2. Purificat. Mariæ.
3. Lætare.
4. Viti.

Poſena.

1. Invocavit.
2. Jo. Baptiſtę.
3. Michaelis.
4. Lucię.

Quedlinburgum.

1. Exaudi.
2. Miſericord. Domini.
3. Domin. prox. poſt Martini.

Querfurtum. H

1. Die Mercurii poſt Paſcha.
2. Die tertia poſt Jacobi.
3. Dominica Exaudi.
4. Matthęi.

Randersbuſium Jutię.

1. Bartholomęi.
2. Galli.

Ravennates.

Nundinę incipiunt cum Majo, durantque dies octo.

Ravensburgum.

Die Viti.

Razeburgum.

A Die Aſſueri.

Ransdesburgum.

Die Matthæi.

Revelia, Riga.

Perpetuas ferè celebrant nundinas ob negotiationum frequentiam.

Ringſtadium Seelandiæ.

2. Jo. Baptiſtæ.
2. Laurentii.
3. Die 22. Septemb.

Ripa Daniæ.

1. Jo. Baptiſtæ.
2. Nativit. Mariæ.

Roeſchildia Seelandiæ.

1. Jubilate.
2. Nativit. Mariæ.
3. Dionyſii.

Rotemburgum ad Tuberum.

B 1. Jacobi.
2. Die Lunæ poſt Nicolai.

Roſtochium.

1. Feria tertia Pentecoſtes.
2. Feſto Michaelis.

Rhotomagum Galliæ.

1. Lucæ.
2. Domin. Trinit.

Rudelſtadium.

1. Domin. poſt Viti.
2. Domin. poſt Crucis.
3. Domin. poſt Eliſabethæ.

Ruremunda.

1. 26. Januar.
2. Die Lunæ poſt Oculi.
3. Die Martis poſt Pentec.
4. 6. Decemb.

Saganum.

C 1. Pridie Invocavit.
2. Exaudi.
3. Dominica proxima poſt diem Hedu-vigis.

Salfeldiæ.

1. Miſericord. Domini.
2. Domin. prox. poſt Bartholomæi.
3. Omnium Sanctorum.

Saliſburgum.

Octiduo ante Michaelis.

Salza.

1. Quaſimodo geniti.
2. Domin. poſt Jo. Baptiſtæ.
3. Domin. poſt Ægydii.

Solemitanæ Nundinæ.

Primæ incipiunt 10. Maii, & 15. diebus continuantur.

Secundæ à 21. Septemb. & durant itidem 15. dies.

Saliſquellium.

1. Sexageſimæ.

D 2. Rogationum.
3. Domin. altera poſt Bartholomæi.
4. Dionyſii.

Sangerhuſium.

1. Miſericord. Domini.
2. Udalrici.
3. Domin. poſt Michaelis.

Saxkobinga Lalandiæ.

Die Michaelis.

Severianum.

1. Judica.
2. Bartholomæi.
3. Nicolai.

Schuvinburgum Fioniæ.

Die Margarethæ.

Schuvinfurtum.

Die Eliſabethæ.

Schuveidintium.

1. Invocavit.
2. Urbani.
3. Galli.

Schuvolla.

Palmarum.

Segeberga.

Omnium Sanctorum.

Sitavia.

1. Exaudi.
2. Dominic. ante Nativitat. Mariæ.
3. Domin. poſt Catharinæ.

Slagelia Seelandiæ.

1. Olai.
2. Omnium Sanctorum.

Slangendorpium Seelandiæ.

Die S. Botildis, aut Viti.

Slackenuvalda.

1. Octiduo ante Septuageſ.
2. Ulrici.

Solodurum.

1. Eſto mihi.
2. Urſulæ.

Sommerfeldia.

1. Aſcenſ. Chriſti.
2. Die Jovis proxima poſt Feſtum Burcardi.

Souderbuſimus.

1. Domin. poſt Margarethæ.
2. Domin. poſt Galli.

Sonderburga.

1. Feſto Corporis Chriſti, al. Feria ſecunda Pentecoſtes, al. Dominica Trinitatis.
2. Laurentii.
3. Michaelis.

Soravia.

1. Purific. Marię.
2. Joan. Baptiſtæ.
3. Domin. proxim. poſt Nativit. Mariæ.

Spandavia.

1. Judica.
2. Dominica proxim. poſt Petri, & Pauli.
3. Domin. poſt Bartholomæi.

Sprottavia.

Die 2. poſt Corporis Chriſti.

Stada.

1. Lætare.
2. Feria ſecunda Paſchatis.
3. Jacobi.

Stargarda.

1 Cantate.
2. Jo. Baptiſtæ.
3. Michaelis.
4. Dominica tertia. Adventus, durantque ad Chriſti uſque natalem.

Stetinum.

1. Dominica poſt Aſſumpt. Mariæ.
2. Die Catharinæ.

Scendelia.

1. Exaudi.
2. Die Martis ante Michaelis.

Sterneberga.

1. Palmarum.
2. Galli.

Striga.

1. Circumcis. Domini.
2. Stanislai.
3. Bartolomæi.

Suaveſtedium.

Jacobi.

Sundinum Pomeraniæ.

1. Viti.
2. Nicolai.

Suerinum.

E

1. Aſcenſionis Domini.
2. Viti.

Suſadata, aliàs Vilſnack.

1. Domin. 1. poſt Trinitat.
2. Dominica poſt Omnium Sanctorum.

Suſatum.

1. Domin. poſt Paſcha.
3. S. Ulrici 4. Julii.
4. Domin. poſt Decoll. S. Joannis.
5. Feſto Omnium Sanctorum.

Tangermunda.

1. Corporis Chriſti.
2. Dominica poſt Petri, & Pauli.
3. Domin. poſt Simonis, & Judæ.

Tanroda.

Domin. ante Feſtum Michaelis. F

Terviſana.

Nundinæ à 20. Octobr. 15. dies continuantur.

Tigurum.

1. Diebus 14. poſt Pentecoſten.
2. Diebus Felicis & Regulæ, nempè XI. Septemb.

Torga.

Vide Argelia.

Tornacum Flandriæ.

1. Aſcenſionis Domini.
2. Mariæ Magdalenæ.
3. 28. Julii Pantaleonis.

Trajectum Hollandiæ.

1. Jubilate. G
2. Lucæ Evangeliſtæ.

Treveris.

1. 24. Febr. S. Matthiæ.
2. 29. Junii, quo celebrat. Pauli mem.
3. 31. Auguſti.
4. 10. Octobr. S. Gereonis.
5. 4. Decemb.
6. 26. Decemb.

Troppa.

1. Proxima dies poſt Purificationem Mariæ.
2. Die Martis poſt Cantate.
3. Die Martis poſt Joannis Baptiſtæ.
4. Die Martis poſt Omnium Sanctorum.

Tubinga.

Quaſimodo geniti.

Tundera.

1. Pentecoſten.
2. Bartholomęi. H
3. Michaelis.

Tuitium in ripa Rheni prope Coloniam Ubior.

16. Martii S. Heriberti.

Vallis Joachimica.

1. Dominica poſt Purification. Mariæ.
2. Margarethæ.

Venetiæ.

A Die Aſcenſionis Chriſti per dies 11.

Verda.

Quaſimodo geniti.

Veſalia inferior.

1. Die Viti 25. Junii.
1. Die Aſſumption. B. Virginis.

Vincentiæ.

A Nundinæ incipiunt 16. Octobr. durantque dies 15.

Vienna Auſtriæ.

1. Lunæ poſt Pent.
2. Catharinæ.

Vinaria.

Exaudi.

Vilſtria Holſatiæ.

1. Bartholomæi.
2. Dionyſii.

Viſmaria.

1. Invocavit. 2. Exaudi.

Viteberga.

1. Poſtrid. Dom. Miſericord. Domini.
2. Domini. Poſt Galli.
3. Domini. poſt Luciæ.

Ulyſſæa.

1. Invocavit.

B 2. Lætare. 3. Joan. Baptiſtæ.

Uratislavia.

1. Lætare. 2. Joan. Baptiſtæ.
2. Exalt. Crucis.
3. Die Eliſabethæ.

Vvedelia.

25. Martii.

Vvormatia.

1. Die Lunæ Poſt Pentecoſt.
2. Feſto omnium SS.

Vvænum Scaniæ.

Die Converſionis Pauli.

Vvapurgum Hollandiæ.

1. Purificat. Mariæ.
2. Laurentii.

Vvipurgum Jutiæ.

1. XIV. Januarii.
2. XXII. Septembris.

Vvolgaſtum.

Nativitat. Mariæ.

Zella.

1. Gregorii.
2. Laurentii.
3. Martini.

Zerveſta.

1. Quaſi modo geniti.
2. Bartholomæi.
3. Galli.
4. Urſulæ.

Zuvickavia, vel Cygnæa.

1. Feſto Trinitat.
2. Catharinæ.

NUNDINALES EPULÆ.

Epularum Nundinalium mentio fit in *l. Cum ſocietas* LXIX. *ff. pro Socio*. Ubi ſic legitur. Cùm Societas ad emendum coiret, & conveniret, ut unus reliquas nundinas, id eſt, epulas præſtaret &c. Ubi Cujacius legendum cenſet, Epulas Nundinarias.

Quales autem hæ fuerint, non explicat Gloſſa, verſimile eſt fuiſſe convivia, quæ initio Nundinarum inſtituebantur, in quibus mercatores bonæ fortunæ litabant, & ſocietatem negotiationis inibant. Niſi etiam tunc inſtitutas has epulas dicamus, ſi quando lautiorem in mercibus diſtrahendis, vel permutandis fortunam nacti fuiſſent, quaſi ſibi gratulabundi de proſperiore ſorte, ac negotiationis eventu.

C Erant Coqui nundinales, ſed imperiti eo nomine vocabantur, quo ſcilicet nono dumtaxat die impenderentur, id eſt, rarius, peritiores enim quotidie operam ſuam præſtabant.

Nuptiæ.

*DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

NUPTIÆ, nuptiarum matrimonium, connubium, conjugium, conjunctio maris, & fœminæ, omnis vitæ conſortium continens, Græc. γάμος, Hebr. *Chatunnah*, à verbo *Chathan*, affinitatem contraxit, propinquitatem inivit per deſponſationem, ut cùm duæ cognationes, & familiæ, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem appropinquat.

Dictæ ſunt etiam Nuptiæ Hebræis à voce *Cipaph*. 1. obtexit, velavit. Unde & Latinis à nubendo, velando, obtegendo. Nova enim nupta olim dum viro ſuo tradebatur, prę pudore caput obvolvebat. Hujus autem ritus antiquiſſimi exemplum habemus *Geneſ*.24. Ubi narratur, Rebecca obtexiſſe caput pallio ſuo, quaſi flammeo, pudoris, & honeſtatis cauſa;
D dum primum veniret in conſpectum Iſaac ſponſi ſui. Vide de hoc veterum ritu apud Ethnicos uſitato. *Alex. ab Alex. lib*.2. *Genial. dier. cap*.5.

Et quæ nos paulo poſt de nuptiarum ritibus, & cæremoniis dicemus. Uſurpatur autem communiter nuptiarum vox pro conjugio ipſo viri, & fœminæ, ſive matrimonio: quamvis alii pro convivio nuptiali, ſive ſponſalitio accipiant. Unde dicimur celebrare nuptias: vocari ad nuptias. Quomodo etiam Chriſtus in Cana Galilææ ſcribitur vocatus ad nuptias cum matre ſua: Immò & pro loco nuptiis celebrandis deſtinato. *Mat*. 25.

NUPTIALIA PRÆCEPTA

☞ *Conſule locum de Matrimonio.*

APOPHTHEGMATA.

Circa idem Argumentum.

PITTACUS interrogabat quendam, cur uxorem ducere nollet? Is cùm reſpondiſſet, ſi formoſam duxero, habiturus

ſum communem: ſin deformem, pœnam. Haudquaquam, dixit Thales, ſed ſi pulchram duxeris, non erit B tibi pœna: ſi deformem, communem non habebis. *Stob. ſerm*. 64.

THALES roganti matri, ut uxorem duceret, nondum eſſe tempus dixit: deinde major natu, non amplius eſſe tempus. *Stob. ſer*. 66.

Idem interrogatus, cur in vigore ætatis liberos non procreaſſet, reſpondit: Quia nolui ſponte vitæ meæ faceſſere negotium, ejuſque tranquillitatem turbare. *Idem ibid.*

SOCRATES, juvenes cælibes, & nuptias ambientes, ſimiles eſſe dicebat piſcibus, qui alludunt circum naſſam, & geſtiunt inire, contra, qui jam incluſi exire: ſimile in matrimonio, quod ambiunt liberi, damnant capti. *Dion. Laert.*

Sciſcitanti cuidam, uxorem an non duceret; Utrumque, inquit Socrates, ſi feceris, pœnitebit. *Stob.*

MUSONIUS, cùm quidam dixiſſet, Nuptias ſibi videri impedimento eſſe ad philoſophandum, reſpondit, ſe aliter ſentire: cùm non fuerint impedimento Pythagoræ, neque Socrati, neque Crateri, quorum unuſquiſque uxori cohabitavit: nec F ullos inquit, alios nominare poſſis, qui melius ſunt philoſophati. *Stob. ſer*.65. Ubi egregia multa à *Muſonio* dicta in laudem nuptiarum.

HEROCLES, Univerſum humanum genus ad ſocietatem natum eſſe dicebat. Prima autem, inquit, & præcipua ſocietas eſt, quæ per nuptias initur. Nam civitates ſine familiis eſſe non poſſunt, & familia innupti manca eſt: integra autem, & perfecta illius, qui conjugatus fuerit. *Stob. eod. ſer.*

PLATO ex nuptiis hanc conſolationem oriri dicebat, quòd naturæ perpetuitas inde promoveatur, & quòd filios filiorum relinquendo ſemper Deo miniſtros pro nobis relinquimus, vitam ceu lampadem aliis poſt alios tradentes. *Libro 6. de legib.*

CHILONIS dictum celebratur: Nuptias frugales, & ęquales opibus celebrato. *Stob. ſer*. 68.

ÆUSEBIUS Philoſ. dicebat, optimum eſſe conſenſum nuptiarum, ſi conjuges temperantiam exerceant. *Idem ſer*. 72.

ANONYMUS, Lacon quidam dives bono, & pauperi adoleſcenti filiam elocavit, qua de re cum à cognatis reprehenderetur, dixit, quem divitem potius quàm pauperem futurum expectem? *Idem ſer*. 70. G

MARTIA Catonis F. cùm rogaretur, cur poſt amiſſum maritum denuo non nuberet? reſpondit: ſe non virum invenire, qui magis eam vellet, quàm ſua. Quo dicto oſtendere voluit, divitias magis in uxoribus ducendis eligi ſolere, quàm pudicitiam, & morum honeſtatem: ac multos non oculis, ſed digitis uxores ducere. *Aut. eſt Hieron.*

DIONYSIUS Sen. Cùm videret matrem ætate confectam, ſecundò nubere velle, eam ob cauſam à multis malè audire, ait: Civitatis legibus vim quidem afferri, naturæ verò nequaquam poſſe. *Plutarch.*

Addamus & his non imprudentem *Euripidis* de nuptiis cenſuram.

Quiſquis uxorem ducere deliberat, non deliberat
Rectè: nam ubi deliberavit, ſtatim ducit:
Quod malorum vitæ multorum initium eſt.
Nam ſi quis pauper pecunioſam uxorem
Duxerit, non uxorem, ſed dominam habet,
Cujus famulus eſt. Quod ſi duxerit
Nihil afferentem dotis, iterùm fit ſervus.
Oportet enim deinceps unius loco duas alere. H
Duxit aliquis turpem, non ampliùs jucunda eſt ei vita.
Formoſa ſi ducitur, non eſt illa.

EUCLIONIS etiam verba apud *Plautum*, quibus Megadorum filiæ ſuæ nuptias ambientem compellat, ſuam elegantiam habet. Sic enim dicit.

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te eſſe hominem divitem.
Factioſum: me item eſſe hominem pauperum pauperrimum.
Nunc ſi filiam locaſſem meam tibi, in mentem venit
Te bovem eſſe, & me eſſe aſellum, ubi tecum conjunctus ſiem,
Ubi onus nequeam portare pariter, jaceam ego aſinus injuſtè.
Tu me bos haud magis reſpicias, natus quaſi nunquam ſiem,
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat:
Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum; ſi quid divortii fiat.
Aſini me mordicibus ſcindant, boves incurſent cornibus,
Hoc magnum eſt periculum me ab aſinis ad boves tranſcendere.